DISSERTATIONEM INAVGVRALEM
DE
EXHAEREDATIONE FILIAE TVRPITER VIVENTIS

Occaſ. L. XIX. ET AVTH. SED SI. C. DE INOFF. TESTAM.

AVCTORITATE
MAGNIFICI ICTORVM ORDINIS
IN ACADEMIA LIPSIENSI
PRO LICENTIA
SVMMOS IN VTROQVE IVRE HONORES
CONSEQVENDI
PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI
SVBMITTIT

M. DITERICVS GOTTHARDVS ECKARDVS,
ILEB.

H. L. Q. C.

AD D. XVI. APRIL. ANNI MDCCXX.

LIPSIAE,
RECVSA LITTERIS STOPFFELIANIS.
1746.

Digitized by Google

CONSPECTVS
TOTIVS
DISSERTATIONIS.

CAP. I.

LEGIS ANALYSIS SISTITVR.

§. I. Non plane tollenda ſunt teſtamenta, ſed eorum ſcrupuloſæ ſolennitates ſunt reſecandæ.
§. II. Fundamentum teſtamenti.
Origo exhæredationis.
§. III. Deſcribitur exhæredatio.
Differentia inter Jus antiquum & novum.
§. IV. Siſtitur thema noſtræ diſputationis.
§. V. Exponitur externa pars legis noſtræ & auth. ſubſequentis ſpeciatim.
§. VI. Vox filiæ explicatur.
§. VII. Enucleatur, quid turpiter vivere nobis ſignificet?

Digitized by Google

§. VIII. Quid a ſucceſſione excludere denotet?
§. IX. Quid per inconſultum calorem intelligatur?
§. X. Explicantur vocabula, Meritum, Odium.
Diſcrimen inter exhæredationem mala & bona mente factam ſiſtitur.
§. XI. Enucleatur, quo ſenſu vocabulum Arbitrium a nobis accipiatur.
§. XII. Summa legis exhibetur.
§. XIII. Exceptio auth. ſubſeq. examinatur.

CAP. II.

DE INTERPRETATIONE LEGIS EXTENSIVA.

§. I. Olim cauſæ exhæredandi liberos erant arbitrariæ.
§. II. In hac lege idem Jus eſt Matri quam Patri.
§. III. Ratione ſtatus filiarum nullum eſt diſcrimen.
§. IV. Diverſæ ſententiæ de vita turpi allegantur.
§. V. Filia cum vitrico inceſtum committens exhæredari poteſt.
§. VI. Quod pari modo de filia ſodomiæ crimine ſeſe polluente, affirmandum eſt.
§. VII. An oſculum juſtam exhæredandi cauſam præbeat nec ne?
§. VIII. Filia præferens vitam luxurioſam matrimonio demum exhæredari poteſt.
Exceptio adjicitur, ejusque limitatio.
§. IX. Quid de filia indigno vel infami nubente ſtatuendum ſit?
Applicatio legis extenſiva ad alios caſus.
§. X. Jure Civili filia minor 25 annis non poteſt exhæredari, ſi absque conſenſu parentum nupſerit digno viro.

§. XI.

Digitized by Google

❧ ✻ ❧

§. XI. Secus de Jure Saxonico ſtatuendum eſt.
Obſtare videtur Deciſ. Elect. Saxon. 52.
Quid parentibus liceat, ſi Conſiſtorium diſſenſum parentum non approbaverit.

§. XII. Talis filia nullam exigere poteſt dotem.

CAP. III.

DE INTERPRETATIONE LEGIS RESTRICTIVA.

§. I. Filia, quæ 25 ſuæ ætatis annum explevit, exhæredari nequit, etiamſi in corpus ſuum peccaverit.

§. II. Mater meretrix filiam turpiter viventem exhæredationis fulmine percutere haud poteſt.

§. III. Quid de filia ſponſalia celebrante & non parentum conſenſum ad ea exigente, iisdem tamen non repugnantibus?

§. IV. Adducitur diſtinctio Covarruviæ.

§. V. Utrum filia 25 annis major abſque parentum conſenſu viro nubens neceſſario a patre dotanda nec ne?

§. VI. Filia ebrietati dedita exhæredari haud poteſt.

§. VII. Neque doloſe inebriata ab aliquo, licet ſtuprum patiatur.
Niſi ipſa ex compoſito eum in finem nimio potui indulſerit.

§. VIII. Immunis eſt ab exhæredatione alto ſomno oppreſſa filia, cujus pudicitia tunc temporis violata.

§. IX. Violentum ſtuprum paſſa, Jure ſuo non excidit.
Nec ea, quacum conſuevit ſponſus.

§. X. In quantum pœnitentia filiam pronunciet immunem?

§. XI. *Filius vi hujus legis haud poterit exhæredari.*

§. XII. *Caveat teſtator ne inconſulto calore exhæredet.*

§. XIII. *Ulterius hæc materia declaratur.*

§. XIV. *An exhæredatio in teſtamento ſolenni vel minus ſolenni fiat?*

§. XV. *Quid de exhæredatione in futurum eventum facta ſtatuendum.*

§. XVI. *Sufficit unius cauſæ in teſtamento allegatæ probatio.*

§. XVII. *Bona Fideicommiſſi etiam in flagitioſe viventem filiam devolvuntur.*

§. XVIII. *Fiat in teſtamento exhæredatio, non in Contractibus.*

§. XIX. *Parens non exhæredat filiam ab inteſtato decedens: quæritur an Magiſtratus filiam tanquam indignam exhæredatione excludere poſſit?*

§. XX. *An filia matrem turpiter viventem vi legis noſtræ exhæredare queat?*

INTROI-

Digitized by Google

INTROITUS.

Nihil certe judicatur æquius nilque juſtius inter machinæ hujus terreſtris incolas, quam ut defunctorum parentum bona ad liberos ſuperſtites devolvantur, ne mediis vitam ſuſtinendi ac trahendi deſtituantur neceſſariis conf. GROT. *d. J. B. & P. l. 2. c. 7.* HOCHSTETTERI *Collegium Puffendorffianum Ex. 8. §. 12.* Etenim cum liberos naturæ ſimul & parentum commune votum ad hæreditatem admittat juxta Ulpianum *in l. 7. §. f. ff. ſi Tab. teſtam. null. extab.* Fundamentum inde hæreditatis liberorum rectiſſime in voluntatis conjectura collocatur, ut defuncti parentes nemini extraneo, quam potius deſcendentibus ſuis bona ſua relinquere velle præſumantur. *l. 30. C. de fideicommiſſ. l. 15. ff. de Inoff. teſtam. Conf.* Excell. Dn. GRIBNER. *in princip. Jurisprud. nat. l. 4. c. 6. §. 4.* Quam ob rationem exhæredationis jura tanquam dura ac ſevera improbat JO. ANDREAS van der MUELEN *Jur. pol. P. 3. qu. 49.* adeo, ut iſtas tabulas, in quibus a ſucceſſione inique excluduntur liberi, furoris plenas appellet. VALER. MAXIM. *l. 7. c. 8. n. 2.* ac proinde iſta teſtamenta

menta *non ex pietatis officio* condita factaque fuiſſe exiſtimentur, ſicuti Marcianus animi ſenſa eleganter ſatis expreſſit *in l. 2. ff. de Inoff. teſtam.* Verum enim vero ſecus utique ſentiendum dijudicamus, cum ingrati immorigerique liberi juſta ex cauſa exhæredentur. *Nov.* 115. *c.* 3. ubi ingratitudinis cauſæ nominatim ſubjectæ ac determinatæ fuere. Qua etiam de re mihi differenti anſam omnino ſuppeditavit materia hoc ex capite deſumta, nec, uti ſpero, ingrata, quousque nimirum filia luxurioſe vivens exhæredari poſſit. Operæ itaque pretium putavi, ut cynoſuram hujus legis *XIX. & auth. Sed ſi C. d. Inoff. teſtam.* exacte ſecutus, argumento huic explicando pro virili operam conſecrarem. Hoc argumentum autem ita pertractandum atque abſolvendum curabo, ut capite I. legis analyſin ſiſtam, capite II. declarem atque oſtendam, quousque legis autoritas ſe extendat, ac denique capite III. exceptiones ſubjungam ac proponam. Summum vero & benigniſſimum Numen ſupplicibus ardentiſſimisque invoco atque imploro precibus, ut huic meo ſemel ſuſcepto inſtituto ex gratia adeſſe, exiguas meas vires clementiſſime regere ac confirmare, cunctaque in ſui perennem laudem ac gloriam vertere, atque in humanæ ſocietatis commoda ac emolumenta, inque ipſam meam ſalutem benigniſſime dirigere & diſponere velit.

DISSER-

Digitized by Google

DISSERTATIONIS
DE
EXHAEREDATIONE
FILIAE LVXVRIOSE VIVENTIS
CAP. I.
LEGIS ANALYSIS SISTITVR.

§. I.

Elogia teſtatorum ultima omnino libertate ſua gaudeant, cum nihil ſit, quod homini magis debeatur, quam ut ſupremæ voluntatis ſit liber ſtylus & licitum, quod iterum non redit, arbitrium, uti luculentiſſime pronunciavit CONSTANTINUS *in l. 1. C. d. SS. Eccleſ.* Fruſtra igitur illi egiſſe videntur mihi, qui teſtamenta Reipublicæ nocere perſuaſum ſibi habent, eorumque uſum plane eliminatum atque proſcriptum volunt. Conf. BERNH. ARGENTRÆUS *in Comment. in conſuetud. Britann. ad rubr. tit. 22. p. 1902.* BOER. *ad conſuet. Bitur. §. 4. Tit. de Teſtam.* Ecquid enim obſtat, quo minus illum in teſtamento deſignemus hæredem, quem agnoſcimus ac habemus chariſſimum? Et quare de rebus ſuis diſponendi omnis libertas in eventum etiam mortis præciſa atque adempta eſſe debet? Proin etiam uſum teſtamentorum antiquiſſimas penes gentes ſubinde admiſſum fuiſſe, luculentis ſatis documentis probari poteſt. Conf. GROT. *d. J. B. & P. II. 6.* HOCHSTETTER. *Colleg. Puffendorff. Ex. 8. th. 19.* Illud tamen ſilentio præterire haudquaquam valemus, nempe ſcrupuloſas teſtamentorum ſolennitates, plures ſæpius excitare difficultates, adeo ut ſuperſtites hæredes non raro infeliciſſi-

Digitized by Google

mis involvantur atque detineantur litibus. Qua de re exoptandum utique cenſemus, ut iſtæ ſubtilitates paſſim occurrentes quodammodo reſecentur, quo majori cum libertate teſtandi arbitrium exercere liceat. Conf. B. STRYCK. *d. Caut. teſtam. c. 1. §. 10.* Neque tamen argumentum inde deduci poteſt, quaſi teſtamenti factio Republicæ ſit noxia, ejusque uſus plane improbandus veniat. Conf. EXCELL. DN. GRIBNER. *princip. Jurisprud. nat. l. 4. c. 6. §. 3.*

§. II.

Hæredis autem inſtitutio, uti caput ac fundamentum totius teſtamenti reputatur, ita quoque exhæredatio in eodem eſt expedienda *§. 34. J. de legat.* adeo ut inſtitutio & exhæredatio propriæ teſtamenti notæ evadant. *l. 7. C. de Codicill. l. 14. C. de teſtam.* Conf. MEV. *P. 4. dec. 83. n. 4.* Qua vero ratione factum fuerit, ut exhæredatio præciſe requiratur, hac occaſione a noſtro haud alienum putamus inſtituto, ut in ipſius originem pauliſper inquiramus. Veriſimiliter igitur originem traxiſſe videtur exhæredatio a Græcorum abdicatione, quæ olim dicta fuit ἀποκήρυξις, cujus formulam ſolennem ex Valerio Maximo deſumtam perluſtrare ac legere licet, apud ſupra jam laudatum DN. HOCHSTETT. *c. 1. Exerc. 10. §. 8.* Quantumvis autem Romanis legibus non comprobata Græcorum abdicatio fuerit *l. 6. C. d. patr. pot. l. pen. C. d. t.* Ejus tamen loco exhæredationem introductam fuiſſe argumentis ſat veriſimilibus DD. deducere ſatagunt. Conf. B. PHILIPP. *ad Dec. El. Sax. 52. Obſ. 1. n. 13.* FELTZIVS *d. Exhæred.* Eo quod liberi officiorum ſuorum parum memores ac plane obliti jure meritoque hæreditate excludantur parentum, adeo ut hanc ob cauſam QUINTILIAN. *in Declamat. 259.* exhæredationem: ***Fulmen parentum adverſus adoleſcentiæ ferociam***, dixerit.

§. III.

§. III.

Quemadmodum autem hæreditas certis tantum perſonis debetur, ita quoque has ipſas in perſonas incidit exhæredatio, adeo ut exhæredationis vocabulum de aliis non, niſi improprie, prædicetur *l. 132. ff. d. V. O.* atque extraneorum excluſio res ſit meri arbitrii Conf. ANTON. FAB. *Error. pragm. Dec. 53. Err. 7. in medio.* Exhæredatio itaque proprie ſic dicta denotat excluſionem a legitima in teſtamento verbis expreſſis factam. *Nov. 115. c. 3.* Conf. Dn. HOPP. *Comment. Inſtit. t. d. exhæred. liber. pr. voce Exhæred.* Differentia autem notatu omnino digna ratione exhæredationis liberorum occurrit Jus antiquum inter & novum. Namque olim pater tantummodo neceſſe habuit, ut filium, quem in poteſtate tenebat, vel hæredem inſtitueret, vel exhæredaret. *pr. Inſt. d. exhæred. libr. l. 26. ff. d. libr. & poſthum. hæred. inſtit.* Conf. MYNSING. *in not. ad pr. J. d. exhæred. liber.* & SCHAMBOGEN *in prælectionibus ad pr. J. d. exhæred. liber.* Aliud vero in perſona filiarum placuit antiquitati, ita ut filiabus ſilentio præteritis teſtamentum propterea vitio nullitatis haud laboraret, imo inter cæteros ipſarum admitteretur exhæredatio. *d. pr.* Cur filiæ autem hac ex parte deteriores olim fuerint Juris DD. ſollicite disquirunt. Alii enim id ideo ab antiquitate conſtitutum fuiſſe exiſtimant, quia leges propenſiore affectu proſequebantur maſculos *§. 15. J. d. hæred. quæ ab inteſt.* Alii vero hanc rationem huic Juris diſpoſitioni occaſionem præbuiſſe autumant, quoniam fœminæ nominis & juris familiæ non ſunt hæredes, cum filii contra familiam hujusque nomen conſervent MANTIC. *ad pr. inſt. d. exhær. liber.* Aſt utcunque ſit, paucis adduxiſſe nobis ſufficiat, dicta jura emendata hodie fuiſſe, ita ut nulla ſexus differentiæ habeatur ratio *§. 5. J. d. Exhær. liber.* Indiſtincte igitur filiorum filiarumque reſpectu juxta *Nov. 115. c. 3.* requiritur, ut exhæreda-

Digitized by Google

redatio juſta fiat ex cauſa, nominatim ac in ſpecie teſtamento expreſſa, ita ut denique ab hærede in teſtamento inſtituto probetur. Conf. B. STRYCK. *d. Caut. teſtam. c. 19. §. 4. ſeqq.*

§. IV.

Filiam turpi luxurioſaque ſua vita parentum provocare poſſe odium, ut hanc ob cauſam exhæredari queat, conſtat clariſſime *ex l. 19. & avth. Sed ſi C. d. inoff. teſtam.* Verba utriusque textus ita fuere concepta.

L. 19. C. d. Inoff. Teſt.
Iidem A. A. Apollinari

Si filiam tuam eo quod turpiter & cum flagitioſa fœditate vivit, a ſucceſſione tua excludendam putes: Si non inconſulto calore, ſed ex meritis ejus ad id odium incitatus es, poſtremi judicii liberum arbitrium habebis. Dab. XV. Kal. Sirmii, ipſis A. A. Conſ. 293.

In avth, ut cum de ap. cog. §. Si vero usque ad viginti quinque coll. 8. Tit. 16. al. 12. Nov. 115. c. 3.

Sed ſi poſt 25 *annos te differente filiam marito copulare, ea in ſuum corpus peccaverit,*

rit, vel, ſine conſenſu tuo, marito ſe, libero tamen, copulaverit, eam exhæredare non potes.

§. V.

Ne vero in externa legis parte explicanda tædioſam nimis operam impendere videamur, paucis indicare atque innuere licebit, legis noſtræ & proxime præcedentis autores extitiſſe *Imperatores DIOCLETIAN.* & *MAXIMIAN. A. A.* qui ſane in Nomotheſia cumprimis reliquis Imperatoribus Gentilibus palmam præripuiſſe videntur. Cum enim ſub eorum imperio JCtorum, quorum reſponſis confectæ ſunt Pandectæ, oracula jam obmutuiſſent. Conf. JACOB. GOTTOFRED. *in hiſtor. Jur. c. 7.* plurimas tamen leges rogaverunt, quæ Codicem Repetitæ Prælectionis hodie adhuc exornant, conf. CORN. van ECK. *princip. Jur. Civ. l. 1. tit. 2. de orig. Jur. p. 68.* Sed quantum ad Apollinarem, ad quem noſtra directa fuit lex, privatus ſane fuiſſe videtur, eo quod, quæ ad Præfectos aut alio munere publico fungentes eoque conſpicuos viros emiſſæ fuere conſtitutiones, officia eorum in inſcriptione utplurimum indicarunt. Illud certe annotari meretur, legem noſtram in earum Conſtitutionum numerum referendam eſſe, quas Epiſtolas vocamus. *l. 1. §. 1. ff. d. Conſtit. §. 6. J. d. J. N. G. & Civ.* Cum in aprico ſit, ad ſupplicationem privati cujusdam emiſſam eam fuiſſe. Conf. JOH. STRAUCH. *Diſſ. de ſtat. a ſummo princ. th. 20. 21. ſeq.* & CONSVLTISS. DN. HOFFMANNVS *in hiſtoria Jur. Rom. Sect. 3. §. 4. p. m. 192.* Etenim veteres Imperatores ea uſi fuerunt humanitate, ut privatis quoque ſupplicantibus conſilia ſuppeditarent ſua. Conf. BRISSON. *d.*

 Form.

Form. l. 3. p. 292. Subſcriptionem vero ita ſe habentem deprehendimus. *Dat. XV. Kal. Jul. Sirmii ipſis AA. Conſ. 293.* Quod non ſemper iisdem formulis in ſubſcriptionibus uſi fuerint Imperatores, res manifeſta admodum eſt, cum interdum vox: *Data Scripta, Emiſſa, Propoſita*, in ſubſcritione legatur. Quænam vero differentia huc intercedat, explicavit STRAUCHIUS *cit. diſſ. th. 42.* JACOB GUTHER *l. 1. de off. dom. Aug. c. 36.* Ad avth. porro legi noſtræ annexam quod ſpectat deſumta hæc cernitur ex *Nov. 115. c. 3. §. 11.* Iſta vero Novellarum compendia IRNERIO plerumque inter accepta referuntur. Conf. *Hiſtoria Jur. Rom. quæ* HOPP. *Comment. Inſt. adjecta fuit. c. 6. §. 3.* EXCELLENT. DN. STRUVII *Hiſtoria Jur. c. 3. §. 13. p. 328.* CONSVLTISS. DN. HOFFMANNVS *in hiſtoria Juris Romani c. 2. pag. m. 329. & ſeqq.* ita ut etiam avthenticæ Irnerianæ dicantur, cum plerasque tamen Codici Juſtinianeo jam dudum inſertas fuiſſe ex Burchardi, Ivonis & Gregorii I. teſtimoniis evincant. STRAUCH. *in Irnerio non errant. c. 11. §. 5.* Et DN. PAGENSTECHER. *Proluſ. Irner. injuria vapulant. p. 4. ſeqq.* Cujuscunque vero avthenticæ iſtæ ſint autoris, hoc tamen extra omne dubium poſitum credimus, easdem a Novellis tanquam fontibus ſuis diſſidentes Juris autoritatem nullam obtinere. Conf. MAURIT. *diſput. d. libr. Jur. Comm. th. 15.* HILL. AD DONELL. *l. 1. c. 11. l. c.* ALBER. GENTIL. *d. libr. Jur. Comm. p. 47. Diſſ.* STRAUCH. *Irner. non errant. c. 2. th. 7.* ILLVSTR. DN. LYNCKER *ad Struv. Ex. 11. th. 36. & 68.* CONSVLT. DN. HOFFMANNVS *libr. ſupr. cit. p. 331. & 332.*

§. VI.

Inoffenſo nunc pede ad verborum nos accingimus explicationem. *Lex* itaque noſtra atque *avthentica* loquitur de *Filia*, quæ turpem ob vitam a ſucceſſione excludenda venit.

Digitized by Google

venit. Filiæ autem vox hic laxius accipienda omnino eſt, ita ut etiam neptes haud debeant eſſe excluſæ. *a. l. 84. l. 201. l. 220. ff. d. V. S.* Licet enim aliter filii, aliter nepotes appellentur. *§. 5. J. qui teſt. tut.* ob paritatis tamen rationem filiorum interdum appellatione nepotes quoque comprehenduntur. *l. 14. ff. ad SCt. Maced. l. 2. §. 28. ff. ad SCt. Tertull. l. 59. ff. d. Ritu nupt.* Conf. DN. HOPP. *Comment. Inſt. ad cit. §. 5. voce: aliter enim Filii.* Idquod confirmari etiam poteſt ex ipſa *Novella 115. c. 3. §. 5.* Ex qua noſtra deſumta fuit avthentica, cum animi ſenſa hiſce verbis explicaverit legislator: *Si alicui ex prædictis parentibus volenti ſuæ filiæ vel nepti maritum dare illa non conſenſerit.* Vox vero filiæ in lege noſtra ad filium neutiquam extendi poteſt, ita ut hic ſive major ſive minor 25 annis ſit, iſtam ob cauſam de Jure Civili exhæredari nequeat. Namque fœminino nomine ſexus maſculinus haud comprehenditur, cum exemplo peſſimum ſit, fœminino vocabulo maſculos etiam comprehendi *l. 45. pr. ff. d. legat. 2. l. 81. pr. ff. d. leg. 3. j.* GOEDDEVS *ad l. 1. ff. d. V. S. n. 61.*

§. VII.

Exhæredari igitur poteſt Filia *turpiter & cum flagitioſa fœditate vivens.* Quibus verbis æquipollent ſequentia in *Nov. 115. c. 3. §. 11. Si filia luxurioſam degere vitam elegerit.* Atque in Avthentica noſtra: *Si in corpus ſuum peccaverit.* Regulariter itaque, ut meretriciam vitam elegerit filia, multorumque libidini patere maluerit. *can. 16. diſt. 34.* Hoc enim modo deſcribitur meretrix, quam quidem deſcriptionem ibi ridicule profecto explicuit *Gloſſa.* Imo verba *in corpus ſuum peccare,* nihil aliud, quam more

more meretricio vivere, denotare autumat DIONYSIVS GOTHOFREDVS *Annot. ad Nov. 115. c. 3. §. 11. lit. X.* SICHARD. *in avth. non licet C. d. lib. præter.* Quanquam alii poſita verba non de vita flagitioſa ac meretricia, ſed de eo potius caſu accipere malint, quo filia ſemel, aut aliquoties forte illi, quem deperibat, corporis ſui fecerit copiam, ita ut tunc tantum flagitium haudquaquam committat, quod quidem dignam eam redderet exhæredatione. Conf. RICHTER. *ad cit. avth. n. 7.* quæ vero prolixius explicandi occaſionem caput 2. ſuppeditabit.

§. VIII.

Noſtra in lege ipſi Legislatores vocem ***a ſucceſſione excludere*** adhibuerunt. Quem autem ſenſum dictæ voces exprimant, e veſtigio incurrit oculos, ut tædioſum omnino arbitremur, ſollicitæ nimis explicationi hic immorari velle. Videlicet a ***ſucceſſione excludere*** idem putatur ac privare filiam hæreditate ipſi debita *l. 7. ff. d. bon. damnat.* vel etiam abſcindere, ut Paulus loquitur in *l. 9. §. 2. ff. d. liber. & poſthum. hær. inſtit.* CHRISTINAEVS *vol. 4. l. 6. tit. 28. Dec. 19. n. 1.* LVDOV. GOZADINVS *ad avth. ex cauſa. C. d. liber. præter. vel exhæred. n. 5.* BALLIO DE NOBILIBVS *ad eand. avth. n. 31.* Inde ***avthentica*** utitur voce: ***Exhæredare***, quæ vox vel generaliter, pro quacunque ademtione & præteritione, vel ſpecialiter pro hæredis excluſione ab hæreditate ſumitur. Germanice *Enterbung, Ausſchlieſſung von der Erbſchafft.* Noſtra autem lex ſermonem inſtituit de exhæredatione vera atque expreſſa, quæ tacitæ atque interpretativæ contradiſtinguitur. *§. 6. J. de exhær. liber.*

§. IX.

§. IX.

Per *inconſultum calorem* quid in lege intelligatur, paucis nunc disquirendum venit. Requiritur certe, ut luxurioſe vivens filia a patre conſulto ſit excluſa, quæ enim temere facta fuit excluſio, aut ipſo iracundiæ calore, neutiquam ſubſiſtit. *l. XIX. noſtra.* Minime enim eorum parentum velificandum eſt deſideriis, qui, novercalibus blanditiis atque inſtigationibus corrupti, injuriam adverſus liberos ſuos teſtamento inducunt & maligne circa ſanguinem ſuum inferunt judicium, ut graviſſime loquitur CAIVS vi *l. 4. ff. de inoff. teſtam.* Unde quicquid calore iracundiæ fit non ratum habendum eſt, *l. 48. ff. d. R. J.* imo Teſtator præſumitur ſcribere noluiſſe. *c. ſi quis iratus 5. C. 2. quæſt. 3.*

§. X.

In textu nunc ſuccedunt verba: *Ex meritis ejus.* Pro culpa interdum accipi dictam vocem *meritum*, nemo certe deprehendetur, quem latere poſſit. Namque vocabulum μέσον, ſeu medium eſt, atque pro re nata bene juxta & male factum denotat, uti & hoc ipſum elegantiſſimis exemplis ſatis probatum legere licet in FABRI *theſauro Erud. Schol. ſub voce meritum.* In lege proinde noſtra filiæ luxurioſe viventis præſumitur culpa, ut in veritate ita ſe habuerit res. Conf. AZO *in Cod. ad banc leg.* atque ex filiæ meritis pater ad *odium* illud exſtimulatus atque incitatus fuerit. Vox: *Odium* in jure opponitur favori, ita ut odioſa ſint reſtringenda, favorabilia autem amplianda, juxta *cap. odia 15. de R. J. in 6.* Inde nemo alterius odio prægravandus eſt *l. 33. §. 1. C. d. inoff. teſtam.* nec novercalibus odiis indulgendum *l. 4.*

 ff. d.

ff. d. inoff. teſtam. Cum præterea quoque exhæredatio hunc in finem ſit introducta, ut delicta in parentes commiſſa ea ipſa vindicentur, atque inſuper immorigeri liberi exhæredationis metu in officio contineantur, hinc regulariter in odium atque injuriam liberorum ſuſcipitur exhæredatio. *a. l. 18. ff. d. liber. & poſthum. l. 8. pr. ff. d. bon. poſſ. contra Tab. l. 18. C. d. inoff. teſtam. Nov. 115. c. 3. 4. 5.* Inde quoque *mala mente* fieri dicitur & *notæ cauſa. cit. l. 18.* Cui exhæredationi mala mente factæ opponitur illa, quæ *bona mente*, non notæ cauſa fit, ut liberis exhæredatis potius proſpiciatur, quemadmodum & divortium aliquando fieri dicitur *bona gratia Nov. 22. c. 4. & Nov. 98. c. 2. §. 22.* Hæc autem quanam in re conſiſtat, luculentiſſime patet *ex l. 12. §. 2. ff. d. Bon. libert.* Quando ſcilicet parentes non notæ cauſa atque ex odio exhæredant liberos, nec ita ut eis noceant, ſed quo meliori modo ipſis conſulant *l. 18. ff. de liber. & poſth. hær.* j. ILLVSTR. DN. LINCK *in Diſp. de exhær. bon. ment. fact. §. 4.* Quæ exhæredatio improprie ac abuſive talis dici commodiſſime ſolet. Conf. BALLIO DE NOBILIBUS *ad avth. ex cauſa C. de liber. præter. n. 33.* HUBER *vol. 2. prælect. tit. de inoff. teſtam. §. 19.* Dicitur alias exhæredatio non notæ cauſa facta *in cit. l. 18.* item, non mala mente facta, *in l. 12. §. 2. ff. de bon. libert.* ut & non notæ gratia, ſed alio conſilio adjecta, *in l. 47. pr. ff. eod.* ita ut CUIAC. *ad Papinian.* non tam injuria, quam providentia audiat. j. DN. LINCK *in ſupr. dict. diſſert. §. 4.* Ultra ex his exhæredatio in dubio præſumatur fuſe tractavit MENOCH. *l. 4. præſumpt. 28.* Noſtra autem in lege dubio ſine de exhæredatione mala mente facta actum fuit.

§. XI.

Quodſi ergo dicta requiſita obſervata ſint, *liberum arbitrium poſtremi judicii* ſubſiſtere debere clariſſime affir-

Digitized by Google

affirmavit lex. Arbitrii vocabulum plures in jure admittit ſignificationes. In genere pro quavis poteſtate & facultate ſumitur. *l. 1. §. 8. ff. de ſuis & legit. hæred. l. 2. §. 8. ff. ſi quis om. cauſ.* In ſenſu vero paulo ſpecialiori quamcunque notat viri cujuslibet boni de re aliqua ſententiam *l. 7. ff. d. Contr. emt.* quo ſenſu recte quoque ad judicem refertur *in l. 3. l. 4. §. 1. ff. de eo, quod cert. loc.* nec non alibi nuncupatur religio, *l. 13. ff. de teſtib.* Imo per arbitrium exprimitur ſpecialiſſime facultas a partibus ex compromiſſo certæ alicui perſonæ ad aliquid definiendum tributa *l. 3. §. 1. l. 4. & l. 13. §. pen. ff. d. recept.* Qua etiam occaſione ſilentio prætermittendum haud exiſtimamus, quod judicium ſive actio tutelæ nominetur quoque arbitrium tutelæ vid. *tot. tit. C. arbitr. tut.* conf. B. SWENDENDORFF. *ſummar. act. for. expoſ. c. 3. n. 20.* Quam denominationis rationem DN. GOTHOFRED. *in annot. ad cit. tit. Cod.* ſuppeditat. Verum enim vero inſtituti noſtri ratio haud permittit, ut alias adhuc ſignificationes h. l. ſollicite nimis adducamus. Quippe noſtrâ in lege arbitrii voce libera teſtatoris intelligitur voluntas. conf. *l. 1. C. de ſacroſ. Eccleſ.* Quapropter arbitri quoque dicuntur, qui liberam habent adminiſtrationem *l. 21. C. Mand.* ita ut poſtremi judicii liberum ſit arbitrium i. e. quod querelæ inofficioſi teſtamenti non eſt obnoxium, cum liberum haud ſit judicium, quando reſciſſioni eſt ſubjectum, uti poſita legis noſtræ verba explicavit SALICET. *Cod. h. t. n. 1. 2.*

§. XII.

Reliqua verba, cum nulla laborent obſcuritate, argumentum l. XIX. & ſeqv. avth. ita in compendio ſiſtere licebit. *Turpis & inhoneſta vita filiæ juſta cauſa eſt ipſam exhæredandi, niſi pater diſtulerit eam marito*

 copu-

copulare ultra 25. *annum. Conf.* SALICET. *c. l.* Conſiſtit autem legis noſtræ ratio in eo, ut filiæ luxurioſæ coerceatur libido, quæ turpi ſua & cum flagitioſa fœditate conjuncta vita juſtam præbet cauſam, ut affectus paternus commutetur in odium, patri calcaria addens, ut filiam propterea exhæredet. Longe vero aliud legi noſtræ plane contrarium Jure Saxonico diſpoſitum eſſe videtur, cum *Spec. Sax. L.* 1. *a.* 5. ſequentia verba deprehendantur: *Ein Weib mag mit Unkeuſchheit ihres Leibes, ihre Weibl. Ehre kræncken, ihr Recht verleuſt ſie aber damit nicht noch ihr Erbe.* conf. EBERH. SPECKH. *Cent.* 1. *quæſt. Jur. qu.* 95. *n.* 14. Aſt vero cum Gloſſa latina dictus textus non de exhæredatione, ſed de ſucceſſione ſolum ab inteſtato admittendus eſt, ita ut filia luxurioſam & meretriciam vitam agens non amittat Jus ſucceſſionis ab inteſtato. conf. B. CARPZOV. *Pr. Crim. qu.* 69. MATTH. COLER. *Dec.* 175. Nec vitio ſane verti poterit patri, quod paterni ſui oblitus affectus exhæredet filiam. Licet enim nullus affectus vincat paternum juxta *l.* 7. *pr. C. de Curat. Furioſ.* Hoc tamen neutiquam extendendum eſt eo, ut pater malitiæ indulgeat filiæ. *l.* 37. *§.* 1. *ff. d. minor.* 25. *an.* Inde lex quoque noſtra utique requirit, ut filiæ merito a patre non inconſulto calore exhæredatio facta ſit.

§. XIII.

Quod ad exceptionem avthenticæ attinet, ſi ſcilicet *parentes usque ad* 25. *annorum ætatem filiam marito copulare diſtulerint, & filia in corpus ſuum peccaverit, aut invitis parentibus libero homini nupſerit, eam exhæredare non poſſe.* Rationem ejus facillimo ſuppeditare licebit negotio, quia pater ſibi ipſi imputet, cum haud eloca-

elocaverit filiam, ideo quod filiæ conditionem nubendi debeat quærere, adeo ut prohibere exiſtimetur parens, qui conditionem nuptiarum non quærit. *l. 19. ff. d. ritu nupt.* atque ſic ipſe cauſam huic turpitudini dediſſe videatur. SICHARD. *ad avth. non licet C. de liber. præter. n. 3.* GOTTOFRED. *ad avth. ſed ſi poſt C. d. inoff. teſtam. lit. f.* Quæ juris diſpoſitio ipſa avthenticæ autoritate locum etiam obtinet, quo minus nimirum exhæredationis fulmen ferire poſſit filiam, quodſi hæc 25. annum jamjam egreſſa parentibus de matrimonio ipſi non proſpicientibus absque eorum conſenſu libero nupſerit. Etenim tacite pater filiæ nubendi facultatem dediſſe videtur, protrahendo ejus nuptias ultra terminum legibus definitum.

CAPVT II.

DE

INTRPRETATIONE

LEGIS EXTENSIVA.

§. I.

Colligere ſane haud videtur abſonum, quod ante Nov. 115. arbitrariæ fuerint exhæredationis cauſæ, ideoque in lege etiam noſtra dicatur, licere patri turpem ob vitam exhæredare filiam. Conf. BRUNNEM. *ad Cod. hac lege n. 1.* Enim vero cauſæ olim pro centumvirorum arbitrio probari vel improbari poterant. VALERIUS MAXIM. *l. 7. c. 7.* QUINT. *l. 4. c. 1.* PLIN. *4. Ep. 8.* *j.* DIONYS. GOTHOFR. *in notis ad cit. leg. ſub lit. c.* Interim tamen pater quoque ante Jus Novell. non ſine omni cauſa ſuſcipere poterat exhæredationem

nem, id quod probatur ex *l. 7. ff. d. bon. damnat.* ibi ***certis*** de ***cauſis*** vel potius ut Florentina lectio habet: ***meritis*** de ***cauſis.*** Hinc ſi probare poſſent liberi, ***quod obſequium debitum jugiter parentibus adhibuiſſent***, adeoque ***immerentes*** excluſi fuiſſent, querela ipſis auxilium adferebat. *l. 28. C. d. inoff. teſtam.* Hodierno vero tempore in cit. Nov. certus earum præſcriptus atque determinatus fuit numerus, quarum canone judices obſtringuntur. Etenim ne parentes exhæredaturi nimiopere vagarentur, libertatem exhæredandi reſtringere voluit Imperator per certarum cauſarum determinationem, ultra quas aliæ nequaquam ſunt admittendæ. conf. B. COCCEII *Diſſ. quæ ſit gen. Res. controv. circa cauſas exhær. liber. cap. 2. p. 20. ſeqq.* Cum igitur etiam ante jus noviſſimum turpis luxurioſaque vita juſtam exhæredationis excitaverit cauſam, idque adhuc *cit. Nov.* atque inde deſumta avth. noſtra comprobatum magis dilucidatum fuerit: Nunc operæ pretium omnino exiſtimamus, prolixius paulo inquirere, quousque demum extendenda hujus juris autoritas ſit.

§. II.

Equidem lex noſtra ad Appollinarem fuit directa, quod viventem turpiter filiam exhæredare valeat: nihil tamen prohibet, quo minus dicto in caſu matri quoque Jus idem applicetur. Quare enim matri haud debet eſſe permiſſum, ut juſto incitata odio luxurioſe viventem exhæredet filiam? Licet autem mater vel avus maternus olim non haberet neceſſe, liberos ſuos aut hæredes inſtituere, aut exhæredare, cum ſilentium matris æquipolleret exhæredationi patris §. *ſ J. d. Exhæred. liber.* In aprico tamen poſitum eſt, matrem hodie

hodie quoque opus habere juſta exhæredationis cauſa in teſtamento expreſſa. *Nov. 115. c. 3.* ideo quod magis hodie ſanguinis & officii materni ratio habetur, quam patriæ poteſtatis. Quodſi igitur mater præterierit filiam ex cauſa in mente retenta, *quia turpiter vixit*, ipſo Jure nullum eſt teſtamentum. *a. l. 7. C. de Condict. cauſ. dat. cauſ. non ſecut. P. 3. Conſt. Elect. 9.* SCHILTER *Exerc. 38. ad Pand. §. 53.* RICHTER *Dec. 45. n. 43.* B. COCCEII *Jus Controv. p. m. 366.* Aliter tamen res comparata eſt cum patre milite, cujus præteritio a ſciente facta in noſtro quoque caſu haberi debet pro exhæredatione *l. 12. pr. l. 47. in f. ff. d. bon. libert. §. 6. J. d. exhæred. liber.* Ita ut privilegio militis *cit. Nov. 115.* nulla ratione derogatum fuerit. DN. HOPP. *ad Inſt. lib. 2. tit. 13. §. ſilentium ejus.* B. STRYCK. *d. caut. teſt. c. 19. §. 5.*

§. III.

Hanc noſtram legem de filia indiſtincte utique conceptam fuiſſe, luculentiſſime patet. Equidem Jure antiquo non præciſe exhæredari debebant filiæ *pr. Inſt. d. exhæred. liber.* Aſt hocce diſcrimen a Juſtiniano fuit ſublatum *§. 5. J. cit. tit.* ita ut proinde filiæ ac filii vel inſtitui vel exhæredari debeant. *Nov. 115. c. 3. vide cap. 1. §. 3.* filia igitur non in patria tantum poteſtate exiſtens, ſed vidua quoque facta vitæ luxurioſæ dedita exhæredari poteſt. Licet enim viduæ tanquam perſonæ miſerabiles multis alias gaudeant privilegiis, *l. unic. Cod. quand. Imp inter pup.* conf. GEISLER. *diſp. de priv. viduar.* ita ut reſcriptum & privilegium contra viduas non aliter habeat autoritatem, quam ſi expreſſe mentio earum facta fuerit. PAUL. CASTR. *in cit. leg. unic. n. 3.* Omni tamen Juris favore atque benevolentia viduæ impudice

Digitized by Google

dice ac libidinoſe viventes judicantur indignæ. conf. SVAREZ *commun. opin. n. 60.* FELIN. *in caſu paſtorali n. 7. d. Judic.* Cum vidua itaque luxurioſe vivens injuriam tum defuncto marito, tum & ipſis parentibus ſuis inferat. conf. MATH. COLER. *Dec. 176. n. 49.* ARIUS PINELL. *l. 4. n. 18. d. bon. matern.* Nullum inde oritur dubium, quin & parentes filiam viduam, ob libidinoſam turpemque vitam juſto præ matrimonio electam, exhæredationis fulmine percutere queant. Quantum vero ad naturalem luxurioſe viventem filiam, ea hac ex cauſa non præciſe exhæredari debet, quippe cui nulla debetur legitima, ſed patre ejus inteſtato moriente, Sextantem tantum accipit hæreditatis *Nov. 89. c. 12. §. 4. Avth. licet C. d. nat. liber.* Quoniam vero reſpectu matris liberis naturalibus ac ſpuriis quærela inofficioſi teſtamenti datur, quando ex juſta cauſa exhæredatio eorum non ſit facta *l. 29. §. 1 ff. d. inoff. teſtam.* Hinc noſtro quoque caſu mater naturalem turpiter viventem filiam juſte exhæredare poteſt, niſi mater ſit Illuſtris, quippe cui legitimos liberos habenti ſpuriæ haudquaquam ſuccedunt filiæ. *l. 5. C. ad SCt. Orfician.* CHRISTIN. *Dec. Belg. V. 4. Dec. 64. n. 4. ſeqq.* Quapropter exhæredationis actus profecto foret ſupervacaneus.

§. IV.

Jam diſpiciendum nobis venit, quousque legis noſtræ extendenda ſit autoritas, ut filia turpem luxurioſamque ob vitam exhæredari poſſit. Cumque igitur turpis ac cum flagitioſa fœditate conjuncta requiratur vita: filia vitam luxurioſam tunc egiſſe fertur, quando amplexa ſemel fuerit meretriciam. *l. 43. ff. d. Rit. nupt. & c. 11. c. 32. qu. 4.* Exiſtimant vero plurimi ſermonem de ea inſtitutum fuiſſe filia, quæ meretricio

retricio more vivit, omnibusque palam turpis quæſtus cauſa uſuram corporis ſui permittit. *l. 43. §. 1. 6. ff. d. Ritu nupt.* Unde mulieres quæſtuariæ fuerunt denominatæ *d. l. 43. §. 7.* qua occaſione Doctores ridicula multa ac otioſa plane ex Gloſſa *ad can. 16. diſt. 34. & cap. 4. X. d. Cler. Excom.* aliisque locis, magnis conaminibus coacervare ſatagunt, ex quibus explicare velint, quid per luxurioſam ac meretriciam intelligendum veniat vitam, quæ cuncta in compendio legere licet apud STEPH. COSTA *in Tract. d. Ludo n. 22.* COVAR. *Tom. I. part. 2. c. 8. §. 11. n. 4.* RICHTER *d. Juſt. mortuor. ſentent. §. 11. n. 4.* Sed utcunque ſe habeat res, ex verbis: *Si in ſuum corpus peccaverit*, colligendum certe eſt, exhæredari poſſe filiam, etiamſi corporis ſui copiam ſemel tantum alicui fecerit, conf. ENENCK. *d. Priv. Par. & lib. priv. 14. p. 1. n. 16.* SVRDVS *d. alim. l. 7. qu. 4. n. 34.* WVRMSER. *pract. obſervat. l. 1. tit. 1. d. teſtam. obſer. 20.* quam ſententiam *Nov. 115. c. 3. §. 11.* luculentis ſatis confirmat argumentis, ubi hiſce animi ſenſa aperuit Imperator: *Et forſitan & hæc contigerit in ſuum corpus peccare.* Hinc utique manifeſto apparet, illam quoque filiam meretricis nomine inſigniri, quæ forſitan in corpus ſuum peccavit, ita ut hæc ipſa verba ad meretricem, quæ corpus libidini aliorum quæſtus cauſa palam exponit, haud quaquam reſtringi queant. B. COCCEI. *in Jur. Controv. p. 373. diff.* SANCHETZ *d. Matrim. l. 4. diſp. 24. n. 6.* STEPH. GRATIAN. *l. 2. diſc. For. cap. 231. n. 31. ſeqq.* CARPZ. *Pr. crim. P. 2. qu. 69. n. 63. ſeqq.* D. STRYCK. *d. caut. teſt. c. 19. §. 35. & d. S. A. J. diſput. 12. c. 2. §. 22.*

§. V.

Multo magis iſta filia turpis ac luxurioſæ argui poteſt vitæ, ſi cum vitrico inceſtum committere religioni ſibi haud

duxerit, adeo ut mater hoc caſu juſtiſſimo Zelo mota talem peſſime meritam exhæredare queat natam, *l. 17. C. d. nupt. l. 5. ff. ad leg. Pomp. d. Parricid. j. Nov. 115. c. 3. §. 6.* Quamvis autem Novella tantummodo loquatur de filio conjugalem patris thorum violante: idem tamen aſſerendum eſſe arbitror de filia cum vitrico concumbente, hacque ratione juſtum matris odium excitante. STEPHAN. *in Comment. ad Nov. 115. n. 18.* HVBER *ad tit. Inſt. de liber. exhæred. §. 10.* atque hinc etiam Regni Luſitaniæ ordinationes *Lib. 4. tit. 72. §. 10.* illud ipſum quod in Nov. de filio ſancivit Imperator, ad filiam applicuerunt, quæ cum vitrico aut eo, cujus mater eſſet concubina, conſuetudinem haberet, referente LVD. MOLIN. *Tom. d. Juſt. & Jur. tract. 2. diſput. 176. n. 6.* At vero quodſi filia impia matris accedente voluntate rem habuerit cum vitrico, exhæredari nequit, eo quod volenti nullam intulit injuriam. *l. 1. §. 5. ff. d. Injur. l. 34. C. d. transact. l. 3. §. 5. ff. d. Hom. liber. exhib. c. 27. d. R. J. in 6.* Sed quid quæſo ſtatuendum foret, ſi cum matris ſponſo filia turpem exercuerit venerem? Hoc quoque caſu exhæredationis fulmine ſane coerceri poteſt filia, quia hac ratione matri turpem quoque ac inhoneſtam intulit injuriam. *§. 2. d. nov.* conf. B. COCCEI. *diſp. quæ ſit genuin. Reſolut. Controv. circa cauſ. exhæred. liber. c. 2. §. 33.*

§. VI.

Num vero & filia exhæredationis pœnam ſubire neceſſe habet, quæ omni fere humanitatis ſenſu exuto ad eum turpitudinis & flagitioſæ vitæ gradum proceſſit, ut nefando Sodomiæ ſe polluerit crimine? Id quod utique affirmandum cenſetur, eo quod hoc corporis delictum maxime eſt abominandum, quo deteſtabili plane modo filia *in corpus*

ſuum

Digitized by Google

ſuum peccare haud erubuit. Quapropter argumentum a minori ad majus hic quam optime ducere licet: ſi authoritate *legis & auth. noſtræ* propter ſtuprum & inceſtum permittatur exhæredatio, multo magis Sodomia juſtam ejus præbebit cauſam. Quam in rem contraria Doctorum hypotheſis plane non judicatur admittenda, cum exhæredationem non ideo procedere ſibi perſuaſum habeant, quia hoc non æque in parentum injuriam tenderet. Conf. B. STRYCK. *d. caut. teſtam. c. 19. §. 30.* j. B. COCCEIUS *it. diſput. c. 2. p. 33.* Verum enim vero oculos ſtatim incurrit, graviore injuria affici parentes, cum filia perfricta fronte atque ejurato omni pudore turpiſſime in corpus ſuum peccaverit deteſtando Sodomiæ delicto, adeo ut potiſſimum ejusmodi furfuris filia juxta *legem noſtram* *turpiter* & *cum flagitioſa fæditate vivere* cenſeatur.

§. VII.

Talem autem turpitudinis notam contrahere ſibi filiam libidinoſum & luxurioſum oſculum paſſam, ut hac de cauſa exhæredari poſſit, apparet neutiquam. Quippe oſculum licet dicatur actus eſſe venereus, *c. nec aliqua putet. 4. c. 27. qu. 1.* atque ob oſculum luxurioſum Vaſallum Feudo privari DD. Juris Feudalis ſtatuant, *1. Feud. 5.* ibi: *Cum ea turpiter luſerit.* Conf. ANTON. *Diſput. Feud. II. th. 5. lit. b.* STRYCK. *de Jur. Sen. Diſſert. 7. c. ult. n. 24.* Quin & patris arbitrium occidendi filiam inter oſcula deprehenſam defendere velit HARPRECHT. *ad §. 4. J. d. publ. indic.* Ubi in medium vocat *leg. 23. pr. ff. ad L. Jul. d. adult.* atque hæc præcipue verba: *In ipſis rebus Veneris.* Adeo ut libidinoſum oſculum jure meritoque pro illicito debeat haberi.

 Conf.

Digitized by Google

Conf. ROM. *diſput. d. oſcul. §. 19.* Verum tamen hæc neutiquam ſufficere putamus, ut filiam hæreditate privari excludique propterea poſſe, ſtatuamus. Quousque vero hoc caſu injuriam propter oſculum libidinis cauſa filiæ impreſſum, actione vindicare poſſit pater, ex inſtituto egregie diſcuſſit ſupra citatus ROMANUS *c. l. §. 22.*

§. VIII.

De ea cumprimis filia agit Imperator, quæ honeſtum a parentibus ipſi oblatum detrectat matrimonium, luxurioſamque eligit vitam. Id quod verbis ſat perſpicuis IUSTINIANUS in *Nov. 115. c. 3. §. 11.* ſequentem in modum expoſuit: ***Si alicui ex prædictis parentibus volenti ſua filia, vel nepti maritum dare, & dotem ſecundum vires ſubſtantiæ ſuæ pro ea præſtare, illa non conſenſerit ſed luxurioſam vitam degere elegerit*** THESAUR. *quæſt. forenſ. l. 1. qu. 70. n. 1.* CAMPEG. *d. dot. privileg. 13. p. 1. n. 192.* STRYCK. *d. ſucceſſ. ab Inteſt. diſſ. 12. c. 2. §. 22.* Nec dictis repugnat *l. 12. §. 1. ff. d. ſponſ.* ubi expreſſe aſſertum fuit: ***Quod filia impune detrectare poſſit nuptias a parente oblatas.*** *J. l. 18. C. d. inoff. teſtam.* Aſt vero filiæ recuſanti tum demum juxta *cit. l. 12.* nihil ſane poteſt imputari, ſi moribus indignum vel turpem parentes ei eligant ſponſum, aut ſi non ex intentione oblatam nubendi repudiaverit occaſionem, ut luxurioſæ vitæ indulgere animus ſit. CYPRÆUS *d. ſponſ. p. 1. c. 7. § 5. n. 4. ſeqq.* GISEBERT. *Juſt. Harm. l. 1. Tit. 10. n. 76.* SCHEPLITZ. *promptuar. Juris Civil. t. 42. §. 6.* Et ad *conſuetud. Brandenb. P. I. tit. 2. §. 3. n. 2.* Imo licet contra filiam poſt annum 25. juxta *authent. noſtr.* exhæredationis non ſit admittenda pœna, aliter tamen ſentiendum utique

eſt,

eſt, ſi nulla culpa patri tribuenda veniat. Conf. DN. STRYCKIUS *d. ſucceſſ. ab inteſt Diſſ. 12. c. 2. §. 22.* Quo caſu nullum ſubeſſe videtur dubium, quin dignam exhæredatione judicare queat filiam. Quapropter haud abs re erit, ut in ultimis teſtamenti tabulis pater det probatum, nullam ipſi imputari poſſe culpam, quo minus filiam marito junxerit connubio, cum commoda nulla oblata fuerit conditio. Conf. PASCHAL. *d. virib. patr. poteſt. P. 2. c. 5. n. 68.* STRYCKIUS *d. cautel. teſtam. c. 19. §. 35.* DN. HOPP. *Comment. ad inſtitut. l. 2. tit. 13. p. 391.*

§. IX.

Ea vero, quæ prolata hactenus fuere, procedunt quoque, ſi filia minor 25. annis absque parentum conſenſu infami aut indigno nupſerit. Conf. GAIL. *2. obſ. 95. n. 17.* FACHIN. *l. 13. controv. Jur. c. 44.* PELAEZ A MERES *d. Majorat. qu. 50. n. 44.* Theſaur. *quæſt. Forenſ. l. 1. qu. 70. Diſſ.* VASQUIUS *d. ſucceſſ. l. 1. §. 10.* Id quod multo magis ad filiam extendendum judicatur, quæ annos 25 exceſſit. Conf. STRYCK. *d. ſucceſſ. ab inteſt. Diſſ. 12. c. 2. §. 22.* Dum enim in *authent. noſtr.* aſſertum fuit, filiam poſt 25 annum marito libero ſe copulare ſine conſenſu patris, atque propterea exhæredari minime poſſe, prono ſequitur alveo, ſecus ſtatuendum eſſe, ſi matrimonio ſibi junxerit ſervum. *j. Nov. 115. c. 3. n. 11.* Conf. EXCELL. DN. GRIBNER. *Diſſ. d. Exhæred. liber. ſine par. conſ. ſponſ. nupt. contrab. §. 7. ſub fin.* Adeo ut illud, quicquid de ſervo dictum, ad iſtos jure meritoque extendatur caſus, quibus ſe filia aliis perſonis turpibus maculaque notatis jungit. *l. 3. §. 5. ff. d. bon. poſſ. contr. Tab.* SICHARD. *ad avth. non licet C. d. liber. præter. n. 3.* DN. HOPP. *cit. loc.* Ratio hic quoque in promptu ſtatim eſt atque eluceſcit, cum

Digitized by Google

absque gravi parentum injuria nec non inſigni familiæ dedecore contingere haud poſſit, ſi ſervo aut alii turpi ac infami marito ſe copulaverit filia. CUIAC. *l. 3. obſ. c. 5. j.* BRUNNEM. *ad noſtram legem n. 6.* CARPZOV. *Jurisprud. eccleſ. l. 2. t. 3. D. 54. n. 6.* Id quod locum quoque obtinere debet, quodſi matrimonium cum hæretico inire animum induxerit. Dicitur vero hæreticus, qui fidem in quatuor ſynodis œcumenicis, nempe in Nicæna, Conſtantinopolitana, Epheſina prima & Chalcedonenſe haud agnoſcit approbatam. *Nov. 115. c. 3. §. 14.* Hodiernum vero quod concernit ſtatum, omnino requiritur, ut filia marito religioni in Imperio reprobatæ aſſentienti nupſerit. Conf. Dn. FUCHS *Paraphr. Inſt. tit. d. exhæred. liber. lit. a.* Cum e diverſo noſtro caſu poſt *Pacif. Paſſav. & Inſt. Pac. Oſn. & Mon. art. 5.* Exhæredatio non admitteretur ſi filia marito a pontificiorum religione ad Proteſtantium ſacra converſo nupſerit, cum exercitium utriusque religionis ſit liberum, ita ut ab una ad alteram absque ullo famæ bonorumque diſpendio liber pateat aditus. Conf. GYLMANN. *in Symphorem. P. I. T. I. tit. 3.* CARPZOV. *P. 3. C. 14. D. 10.* HOPP. *ad Inſtit. l. 2. tit. 13. d. Exhær. liber.* PHILIPP. *ad Dec. Elect. Saxon. 52. obſ. 1. n. 42. & obſerv. 2.* Inde in Camera quoque cauſam exhæredationis non admitti ob religionis diverſitatem teſtatur DIETHER. *ad Beſoldi Theſaur. Pract. ſub voce: Religio p. 814.*

§. X.

Cum autem vi *avthent. noſtr.* clare ſatis fuerit affirmatum, quod ipſo filia poſt 25 annum cuidam ſe ſine parentum conſenſu copulare poſſit & quidem absque exhæredationis metu: ſilentio hic non prætermittendum putamus, quod quidam Doctores ex *avth. noſtr.* & *Nov. 115. c. 3.* argu-

Digitized by Google

argumentum elicere ſatagant atque contendant, jure civili filiam 25 annis minorem ſine parentum conſenſu viro honeſto nubentem exhæredari poſſe, conf. CVIAC. *3. obſ. 5.* Atque a contrario quidem ſenſu argumentum ducere conantur. *Filia non poteſt exhæredari, ſi poſtquam parentes diſtulerint eam marito copulare, & egreſſa fuerit 25 ætatis annum poſtea ſine conſenſu eorum nubat. Ergo exhæredari poteſt, ſi ante 25 annum nubat, & conſenſum parentum prætermittat.* Quorſum & Regni Galliæ conſtitutio Ao. 1556. rogata tendit, ut nimirum maſculi ante annum 25. nuptias ſine parentum autoritate ac conſenſu contrahentes, tum donationibus in ipſos collatis, tum legitima portione privari queant. Conf. HOTTOMANNVS *quæſt. illuſtr. 9. in fin.* At vero haud obſtante contraria in Gallia Conſtitutione hoc vix ac ne vix quidem jure probari poterit civili. Conf. PAGENST. *Irner. in jur. vapulant. p. 577.* STRVV. *S. J. C. Exerc. 32. th. 34.* FACHIN. *Controv. l. 3. c. 44.* RITTER. *ad Nov. P. 3. c. 3. n. 13.* STRYCK. *d. diſſ. ſponſ. S. 4. §. 33.* Idem *d. Succeſſ. ab inteſt. diſſ. 12. c. 2. §. 22. Diſſ.* VOET. *ad tit. ff. d. inoff. teſtam. §. 6.* LVC. van de POLL. *d. exhæred. c. 45. §. 1.* Nec legis illatio a ſenſu contrario deſumta diſſentientium hypotheſi lucem quandam accendere poteſt, quippe quod argumentum inſufficiens atque infirmum ſæpius exiſtimatur eſſe, ut ne in præſenti urgeamus, incertum adhuc haberi, utrum verba *noſtræ authenticæ vel ſine conſenſu tuo marito ſe tamen libero copulaverit.* Vel, uti in Nov. concepta ſunt: *Aut ſine conſenſu parentum marito ſe libero tamen conjungere,* pro legitimis ſint agnoſcenda, cum apud Haloandrum non inveniantur & in *Ecclog. Baſilic. l. 35. p. 344.* ad marginem

ſaltem

ſaltem poſita deprehendantur. Conf. DN. RICHTER *ad noſtr. auth. n. 13. 14.* dummodo viris haud indignis aut minus honeſtis maritis nupſerint filiæ, de quo *antec. §.* mentio facta fuit, PEREZ. *ad Tit. d. Dot. prom. n. 11. & ad tit. C. d. Liber. Præter. n. 19.* VNGEPAVER *in Explic. cap. Raynutius 16. d. teſtam. in præmiſſ.* Conf. EXCELL DN. GRIBNER. *Diſſ. d. exhær. liber. ſine conſ. parent. ſponſal. contract. §. 7.* STRYCK. *d. Caut. Teſtam. c. 19. §. 35.* Nec contraria præſidio ſuo niti poteſt ſententia *l. 3. §. 5. ff. d. Bon. Poſſ. contr. Tabb.* Eo quod dicta lex de filio faciat ſermonem, qui contra patris conſenſum ignominioſam duxit uxorem, quæ tum ipſi, tum quoque patri dedecori ſit, ubi notatu digna ſunt verba *cit. leg.* Conf. RICHTER. *d. Juſt. mort. ſentent. in propr. ſangv. §. 17. n. 12.* FERDINAND. VASQV. *de ſucceſſ. §. 10. n. 11.*

§. XI.

Jus tamen Saxonicum divortium hic inſtituit a Jure civili, cum illo indiſtincte liberi in nuptiis contrahendis parentum conſenſum prætermittentes exhæredari vel quoad legitimam totam, vel pro dimidia parte poſſint. conf. *Ordin. Eccleſ. tit. von Ehe-Gelœbnüſſen §. Und da.* MAGNIFIC. DN. MENCKENIVS *Tract. Synopt. Inſt. tit. de nupt.* CARPZOV. *l. 2. Jurisprud. Conſiſtor. lib. 3. Def. 54.* Nec dicto huic juri obſtat *Div.* JOHANN. GEORG. II. *Dec. Elect. 52.* ubi ſancitum fuit, ut nulla alia cauſa in Saxonia præter in *Nov. 115.* expreſſas ſit attendenda. Cum enim Princeps hanc exhæredandi cauſam expreſſe non ſuſtulerit, parentes inde etiam dicto caſu ab exhæredandi jure nequaquam exiſtimantur fuiſſe excluſi. conf. DN. TENZEL. *diſſ. d. Parent. conſenſ. per Magiſt. circ. liber. ſponſ. ſupplet. c. 3. §. 3.* Namque de interpretatione Novellæ Deciſio agit, ac diverſas huc trahi cauſas prohibet.

Digitized by Google

hibet. Quod non eo interpretandum venit, ut propter neglectum parentum conſenſum exhæredandi cauſa ceſſet, quam ſumma providentia amiſerunt Anteceſſores. conf. DN. GRIBNER. *d. Exhæred. liber. ſin. par. conſenſ. ſponſ. nupt. contrah. §. 11.* Pari propemodum ratione diſpoſitum legere licet *Ordin. Provinc. Naſſov. Catimeliboc. c. 2. von denen Ehe-Gelœbnüſſen §. 7. Hætten aber die Kinder wider ihrer Væter wiſſen ſich mit* turpibus *und* infamibus *oder ohnehrlichen, bœſen und ſchandloſen Perſonen verehlichet und der Væter Rath nicht folgen wollen, ſo ſoll demſelbigen hiermit, und in Krafft dieſes erlaubt ſeyn, dieſelbige ihre ungehorſamme Kinder auch ihrer natürlichen Kind oder Pflicht-Theils zu enterben.* Id quod jure meritoque conſtitutum judicatur, quo liberi hac ratione, qui quidem debitum parentibus obſequium detrectant, coerceantur, cum gravior in parentes injuria redundet, quam ſi damnum pecuniarium aut inſigne fortunæ diſpendium ipſis intulerint ARUM. *Ex. 2. ad Inſt. th. 11.* CARPZOV. *c. 1. n. 3.* quæ ita tamen accipienda ſunt, dummodo non injuria diſſentiant parentes absque juſta ac evidenti cauſa *l. 19. ff. d. Rit. nupt.* alias enim jure ſuo & honore ipſis debito indignos ſeſe videntur reddidiſſe, adeo ut hoc caſu liberi matrimonium contrahere injuria prohibiti invitis & non conſentientibus parentibus inire nuptias poſſint, atque huc referenda ſunt verba *ordinat. Eccleſ. Saxonic. cit. tit. Dagegen wollen wir die Eltern ermahnet haben, wenn die Kinder ihre Jahre erreichet, darauff bedacht zu ſeyn, welcher Geſtalt dieſelben Ehelich und alſo verſorget werden, daſs ſie damit auch ihres Theils zufrieden ſeyn kœnnen, und da die Kinder ihre Eltern umb Erlaubnüſs ſich mit gewiſſen Perſonen ehelich zu verbinden, erſuchen und bitten würden, ſie ohne genugſame erhebliche Urſache daran nicht hindern, und wo ſie die Eltern und Kinder ſich derowegen mit einander nicht ſelbſt vergleichen kœnnen, ſoll es alsdann, und ehe dann von*

den Kindern etwas verbündliches vorgenommen wird, bey unſern Conſiſtoriis geſuchet und daſelbſt nach Billigkeit entſchieden vverden. Ita ut in ejusmodi parentes moroſos & ulla absque juſta cauſa difficiliores ſtylum quoque ſtringat. B. LVTHERVS *Lib. von Ehe-Sachen P. 1. a. 5. §. Weiter findet man ſolche grobe Leute.* A Magiſtratu igitur juxta verba *ordin. Eccleſ. Sax. El.* jam adducta, parentum absque cauſa juſta diſſentientium ſuppleri poteſt conſenſus *a. l. 19. ff. de Rit. Nupt.* BRVNNEM. *Jus Eccleſ. l. 2. c. 16. §. 5. in fin.* Quod matrimonium æque habetur legitimum, ac cum parentum conſenſu initum, qui enim juſtam non habuerunt conradicendi cauſam, conſenſiſſe exiſtimantur *a. l. 37. ff. ſolut. matrim.* MAGNIFICVS DN. MENCKENIUS *Tract. Syn. Pand. tit. d. ritu nupt. p. 344.* DN. HOPP. *Comment. Inſt. p. 70.* Conſiſtorii tamen conſenſus requirendus omnino eſt, antequam liberi contrahunt ſponſalia *j. Ord. Eccl. cit. loc.* Atque ab initio quidem parentes inter & liberos amicabilis compoſitio eſt tentanda, quæ ſi non obtineat exoptatum finem, Magiſtratus Eccleſiaſticus matrimonium contrahendi liberis concedit facultatem *l. c. 19.* Uti etiam hoc reſponſo ſupremi Conſiſtorii edito d. 3. Sept. Anno 1691. confirmat DN. TENZEL. *in Diſſ. parent. conſ. per Magiſtr. circ. liber. ſponſ. ſupplend. Dievveil Bekl. von ihren betheuerlichen Ehe-Gelœbniſs nicht abſtehen, noch Klæger, als ihr Vater darein bevvilligen vvollen, gleichvvohl aber ſeiner Vervveigerung keine erhebliche Urſache beybringen kœnnen, ſo vvird Beklagten die Ehe mit einander Chriſtlich zu vollziehen verſtattet.* Sed quæſtio nunc exſurgit, annon obſtante conſiſtorii conſenſu liberi exhæredari poſſint a parentibus? Idquod utique negandum eſt, quippe cauſa parentum diſſenſus injuſta fuit deprehenſa, ideoque nec exhæredatio eſt admittenda. Et quanquam CARPZOVIUS *Jurisprud. Conſiſt. l. 2. D. 54.* in contrariam hic propendere videatur ſententiam, eam tamen

men

men declarare annititur SCHILTER. *Inſtit. Can. l. 2. tit. 10. §. 7.*

§. XII.

Satis igitur hucusque conſtat, quousque autoritate *l. 19. & ſequ. avth. C. d. inoff. teſtam.* exhæredatio luxurioſe viventis filiæ procedat. Qua occaſione illud meminiſſe haud abs re erit, filiam ejusmodi nullam exigere poſſe dotem, etiamſi exhæredationem prætermiſerit pater. Etenim quantumvis officio patris incumbat, ut pro ſua progenie dotem det. *l. 19. ff. d. Ritu nupt. l. f. C. d. Dot. promiſſ.* Adeo ut multi etiam DD. hoc ad divitem atque locupletem filiam extendere malint. ZOES. *ad ff. Tit. d. Jur. dot. n. 8.* STRYCK. *d. Caut. Contr. Sect. 3. c. 8. §. 13.* Conf. MAGNIFICVS DN. MENCKENIUS *in Gymnaſ. Polem. Jur. Civ. diſput. IX. th. 21.* Hujus tamen favoris filia luxurioſe vivens particeps neutiquam fieri poteſt. *a. l. 37. §. 1. ff. d. minor. 25 ann. a. l. 5. §. 11. ff. d. agnoſc. vel al. liber.* Tralatitium enim eſt, quod ex quibus cauſis pater exhæredare poſſit filiam, ex iisdem quoque dotem eidem denegare queat. CHRISTIN. *5. Deciſ. Belgic. 28. n. 27. ſeq.* j. RICHTER. *ad avth. noſtr. n. 19.* Idquod luculentis ſatis verbis Sereniſſimus Saxoniæ Legislator in Ordinat. Saxonic. cit. loc. comprobavit. *Und da ſie hierüber und über beſchene Vermahnung und Warnung wieder ihrer Eltern Willen ſtarck darauff verharren, und ſolch Ehe-Gelœbnüſs zu vollziehen andere Gelegenheit ſuchen würden, ſollen die Eltern ihnen mit etwas zu der Ausſtattung behülfflich zu ſeyn nicht verpflichtet ſeyn.* Verum enim vero inſtituti ratio haudquaquam permittit, ut prolixius in extenſiva legis interpretatione verſemur, quam ob rationem videndum porro eſt, quibusnam in caſibus hæc Juris diſpoſitio ſit reſtringenda.

CAP. III.

DE

INTERPRETATIONE LEGIS RESTRICTIVA.

§. I.

Cum filiam odio patris turpem ob vitam exhæredationis fulmine perculſam in antec. capite conſideraverimus: reſtat nunc ut videamus ac perpendamus, quousque ea noſtris in legibus invenire valeat præſidium. Filiæ igitur juxta Avthenticam nocere minime poteſt exhæredatio, ſi 25. annos egreſſa in corpus ſuum peccaverit, quippe parentes diutius differre aut prohibere haut debent filiarum nuptias. *l. 19. ff. d. ritu nupt.* Quodſi famæ & caſtitati ipſarum conſultum velint: Parentum proinde culpa potiſſimum eveniſſe judicatur atque intelligitur, quod filia præfixum poſt terminum tale quid perpetraverit. conf. PEREZ. *ad tit. C. d. Dot. promiſſ. n. 11.* ZOES. *ff. de liber. & poſthum. n. 15. vid. ſupr. diſſ. cap. 1. §. 13.* Quare enim tantam interpoſuere moram in quærenda matrimonii conditione? CUIAC. *3. obſ. 5.* GAIL. *2. obſ. 95. num. 17.* STRYCK. *d. ſucceſſ. ab inteſt. diſſ. 12. c. 2. §. 22.* Licet itaque filia in ſe turpiter & flagitioſe quidem agat, quæ poſt 25. annum in corpus ſuum peccat, haudquaquam tamen ex ſupra jam dictis cauſis aſſeri poteſt, quod hac vita ingratam ſe exhibeat adverſus parentem, utpote qui ipſemet filiæ propter moram ad hancce vitam cauſam videtur dediſſe. conf. *noſt. avth.* verba: *Te differente:* item *Nov. 115. c. 3. §. 11.* *Parentes diſtulerint, forſitan*

Digitized by Google

ſitan ex hoc contigerit. SALICET. *ad l. 19. noſtr. n. 2.* idquod ſane multo magis ſtatuendum atque affirmandum venit, ſi patris culpa filiæ commoda nubendi occaſio oblata prorſus evanuerit, tum enim licet ſtuprari ſe concedat, exhæredari haud poteſt. CARPZOV. *P. 2. Crim. qu. 69. n. 70.* B. COCCEI. *diſſ. quæ ſit genuin. reſolut. controv. circa cauſ. exhær. liber. c. 2. p. 37.* Quodſi proin pater, propter paupertatem conſenſum deneget atque renuat, & a filia majore 25 annis aliquid committatur, quod illi dedecori plane ſit, filia ſucceſſione haud excludenda venit. Idcirco digna notatu hac ex parte ſunt verba reſponſi ab ordine JCtorum Altorffinorum Anno 1704. Menſe Novembris emiſſi: *Die* Acta *legen deutlich vor Augen, daſs* N. *den* V. *zum Eydam hauptſæchlich darum nicht haben vvolle, vveil er ihm nicht reich genung iſt, und ein reicher Ehe-Werber zu ſeiner Tochter ſich annoch, ſeiner Hoffnung nach vvohl finden dürffte. Dieſe Urſache des vervveigerten Væterlichen* Conſenſus, *vveil ſie auf einem Geld-Geitz ſich offenbahr gründet, ſo bey* N. *als einen gar Alten und Kauffmanne nicht zu vervvundern iſt, auch das Miſstrauen in göttlicher Vorſorge und Seegen ſo* V. *in der Ehe hoffet,* importiret: *Alſo iſt ſolche Geld-Begierde auch mit einen Haſs und Verachtung der Gelehrten, vveil ſie nicht ſo leicht und ſo viel, als Kauffleuthe, zu ervverben oder zu gevvinnen pflegen, ingleichen mit einen Hochmuth und Rach-Begierde, oder gar mit einer Unverſœhnlichkeit vergeſellſchafftet, indem nehmlich übel empfindet, daſs theils* N. *einige Zeit mit ſeiner Tochter* converſiret, *ehe er um ſeinen* Conſens *in die Heyrath mit derſelbigen angeſprochen vvorden, theils daſs.* V. *ſolche Anſprechung nicht ſelbſten gethan, ſondern durch andere verrichten laſſen &c. vvelche neben* Paſſiones *jedoch ſich nicht ſonderlich regen dürffen, daferne nur dem an ſich ſelbſt ſehr hartnæckigten Haupt-*Affect *des Geld-Geitzes, durch dieſe Heyrath nicht zu nahe getreten vvürde, &c. dieſe* Affecten

 um

Digitized by Google

um bey denegirung *des Væterlichen* Conſenſus *auf die ſündlichſte Art die Oberhand in ſeinem Gemüthe gevvinnen zu laſſen, laufft klærlich auf einen* abuſum patriæ poteſtatis *hinaus, vvelcher ſonſt von den* Theologis *und* JCtis in materia conſenſus patris ad Nuptias liberorum requiſiti *ſo ſehr vervvorffen und miſsgebilliget vvird. Und vvürde man ſich gleicher Sünde theilhafftig machen, vvenn man dieſen bæſen* Affect *durch einen ihnen gebenden Beyfall veliſiciren oder* patrociniren *vvolte, da vielmehr der Geitz in der heiligen Schrifft als eine Wurtzel alles Ubels abgemahlet vvird.* Inde certe ſequitur, quod noſtro quoque in caſu in partem, absque ratione diſſentientem, filia etiam luxurioſe vivente, transferenda ſit cauſa, quo minus jure uti poſſit exhæredationis. SICHARD. *ad Cod. l. 11. n. 8. d. inoff. teſtam.* STRYCK. *d. caut. teſt. c. 19. §. 35.*

§. II.

Ecquid vero ſentiendum eſt, quodſi ipſa mater vitæ addicta ſit meretriciæ, num & tunc ob turpe atque inhoneſtum vitæ genus exhæredem ſcribere poteſt filiam? quod GVILIELM. de CVG. negat *a. l. 11. C. d. inoff. teſt.* Ideo quod mater ſimilis exiſtit conditionis, ita ut mores, quos quis in ſe probat, in aliis improbare nequeat. *l. 47. ff. ſolut. matrim.* vitiique exceptio non poſſit opponi ab eo, qui ipſe eodem laborat vitio. BRVNNEM. *ad l. 11. C. d. inoff. teſtam.* RICHTER. *Centur. Reg. Jur. R. 88.* Accedit, quod mater etiam cauſam forſitan dederit ſeductioni. conf. BARTOL. ad *cit. Reg. II.* COVARRVV. *in prælim. ad cap.* RAYNVTIVS *X. d. teſtam. n. 15.* SALICET. *Cod. ad noſtr. l. 19. ſub fin.* ubi facta fuit exceptio, ſi mater converſa atque ad honeſtam reducta fuerit vitam.

Digitized by Google

§. III.

Denique juxta *avthent. noſtr.* filia 25. annis major exhæredari nequit, tametſi absque parentum conſenſu marito libero tamen atque digno nupſerit. MENOCH. *l. 4. præſumt. 198. n. 61.* STRYCK. *de ſucceſſ. ab inteſt. Diſſ. 12. c. 2. §. 22.* Quæ exceptio huc comprehenſa occaſionem præbuit Doctoribus, ut in diverſas abire partes cœperint, uti jam-jam obſervatum fuit. *diſſ. noſtr. cap. 2. §. 10.* I. RICHTER *ad hanc. avth. n. 14. 15.* Cum vero Iure Saxon. Elect. nec non varjis conſtitutionibus Provincialibus atque ſtatutis indiſtincte propter conſenſum parentum inſuper habitum, exhæredatio locum habeat. *Ord. Elect. Saxon. tit. gener. vou Ehe-Sachen* ſpec. *von Ehe-Verlöbniſsen §. 1. ſeqq. Edict. pœnal. Hamburg.* MEV. *ad Jus Lubec: l. 1. tit. 4. art. 2. n. 29.* BEVST. *d. Matrim. l. 2. cap. 46.* CARPZ. *l. 2. Jurisprud. Conſiſt. d. 54.* STRYCK. *d. ſucceſſ. ab inteſt. Diſſ. 12. §. 22.* Hoc loco tantummodo ſub examen vocari meretur, quid Iuris ſtatuendum ſit ratione exhæredationis, num ea in ſponſalibus parentum absque conſenſu contractis, ipſis tamen parentibus non repugnantibus, locum habeat? Qua occaſione negativæ ſententiæ haud immerito adſtipulamur, quia conſentire videntur, cum ſciverint nec contradixerint. BARBOS. *ad l. 34. n. 152. ff. ſolut. Matrim.* BRVNNEM. *ad l. 12 ff. d. ſponſal.* CARPZOV. *Jurisprud. Conſiſt. l. 2. def. 42.* Neque tunc jure exhæredandi uti poſſunt parentes, etiamſi ſub Iuris exhæredandi reſervatione conſenſum interpoſuerint; ab eo enim ſtatim tempore, quo quidem conſentiunt, injuriam ſibi illatam remittere videntur. conf. DN. TENZEL. *diſſ. d. Parent. Conſ. per Magiſtr. circa liber. ſponſ. c. 3. §. 4.*

§. IV.

§. IV.

Equidem COVARRVVIAS *part. 2. Epit. c. 3. §. 8. n. 5.* ſub diſtinctione litem dirimere, quantum poteſt, allaborat, utrum liberi in Eccleſiæ facie contrahant nuptias, an vero clandeſtine contractum ſit matrimonium. Illo caſu filias valide haud exhæredari poſſe ſtatuit; licet ante 25. ætatis annum absque parentum voluntate matrimonium cum indignis longeque inferioribus ineant, ita ut tales liberos neque pater neque ſecularis reſpublica pœna afficere poſſit. Cum e contrario poſteriori caſu ſecularibus permiſſum debeat eſſe principibus, exhæredationis pœnam ſtatuere liberis, qui parentum conſenſu neglecto tranſitum fecerunt ad nuptias. Quæ COVARRVV. dicta haud prolixa opus habent refutatione. Talia quippe matrimonia, quamvis publice in Eccleſiæ conſpectu contracta valida ſatis ſint, ſuaque autoritate nitantur. *cap. 3. X. d. Cland. deſponſ. c. 3. XXX. qu. 5.* Inde tamen non eſt derivanda conſequentia, quaſi liberi autoritatem parentum ſuorum deſpectui habentes, ab ipſis eapropter exhæredari atque a Magiſtratu coerceri legitimo modo nequeant.

§. V.

At filiam quamvis pater ob luxurioſam turpemque transactam vitam dotandam obligari nequeat, ſecundum ea, quæ ſupra *c. 2. §. fin.* fuere tradita: illud tamen nondum extra controverſiam videtur eſſe poſitum, quousque pater filiam poſt annum 25. inſcio minusque ſe conſentiente, nubentem dotare neceſſe habeat. At vero ſub diſtinctione lis dirimenda hic eſt, quippe cum indigni turpisque viri matrimonium ſibi elegerit filia, ad dotem haud eſt obſtrictus, quoniam

quoniam pater quoque eam exhæredare poteſt. CHRISTIN. 5. *Dec. Belgic. 28. n. 27. ſeqq.* THESSAVR. *quæſt. Forenſ. l. 1. qu. 70.* PALAEZ. a MERES *d, Majoratu qu. 50, num. 44.* RICHTER *adb. avth. n. 19.* E diverſo quando digno honeſtoque viro filia ſe copulaverit, dotis ſeſe ſubducere oneri pater nequit, *l. 19. ff. d. Ritu. Nupt. l. f. C. d. Dot. Promiſſ.* conf. B. ZIEGLER. *diſſ. d. Jur. Dot. §. 17.* Quapropter PAVL. CASTRENS. *in l. 19. C. d. inoff. teſtam.* parentes admonet, ne filias nubiles maritare differant ultra 25. annum, cum alias ſeipſas maritare queant, paterque teneatur aſſignare eis dotem. conf. PETR. BARBOS. *d. l. 1. ff. ſolut. matrim. P. 4. n. 31. f. 185.*

§. VI.

Turpis etiam vitæque luxurioſæ filia, ebrietati dedita, jure meritoque arguenda huc venit, adeo ut Syrac. c 26. v. 11. talia pronunciet verba: *Mulier ebrioſa eſt magna contumelia & turpitudo illius non tegetur.* Immo tales fœminas ipſi deteſtati ſunt gentiles, quo tendit illud OVID. *l. 3. d. art. amand.*

Turpe jacens mulier multo madefacta Lyæo.

Spectat huc quoque a Romulo olim ſancita lex hujus tenoris:

Si vinum biberit domi, uti adultera puniatur.

Omnisque vini uſus interdictus fuit fœminis, non apud Romanos tantum, Conf. DIONYS. HALICARNASS. *l. 2.* POLYB. *l. 2.* Sed quoque cæteros latinos. A. GELL. *Noct. Att. l. 10. c. 23.* BLONDUS *Triumphat. Rom. l. 5.* Quoniam vero *lex XIX.* cum *avth. ſequ.* manifeſto ſatis indicant, quod per

turpem luxurioſamque vitam intelligatur meretricia, ita ut filia in corpus ſuum tunc peccare dicatur, exhæredationis inde fulmen a parentibus contra filiam ebrietati indulgentem atque deditam vibrari nequit. Etenim quodſi ebrietatis cauſam ſimul comprehendere voluiſſet Imperator, verbis magis perſpicuis mentem procul dubio ſignificaſſet ac aperuiſſet, idquod tamen haudquaquam deprehendimus factum. Nec urgeri poteſt, quod per ebrietatem *in corpus* quoque graviſſime *peccetur*. Nam quod hæc phraſis de ſcortatione potiſſimum adhibeatur, ex græcorum ſcriptis probavit ſolidiſſime SAM. BOCHART. *diſſ. ad c. 5. 6. 7. ad Corinth. n. 40. ſeqq.* Digna ſane notatu ſunt verba, quibus BALDUIN. *Comment. in Epiſt. I. ad Corinth. p. 326.* uſus fuit. *Etſi alia quoque ſcelera*, inquit, *lædant corpus, nullum tamen tantam vim infert corpori, quam ſcortatio, qua membra enervantur, & peculiares ſæpe quoque contagioſi & incurabiles morbi acceſſuntur, quo reſpectu cætera peccata quam plurima, licet membris corporis etiam perpetrentur, quaſi extra corpus fieri videntur, quia tanta & ignominia & injuria corpus non afficiunt.*

§. VII.

Quodſi vero filia a quodam eum quidem in finem inebriata fuerit, ut ad ſtuprum induceret illam, commode proponi poteſt quæſtio: num & pater hac occaſione filiam in corpus peccantem exhæredare queat? idquod merito negandum ducitur, cum in delictis non tam exitus, quam voluntas ſpectetur. *l. 14. ff. ad Leg. Cornel. de Sicar. l. 5. C. d. Injur.* & maleficia propoſitum atque voluntas diſtinguat. *l. 53. pr. ff. de furt.* adeo ut ebrii furioſis ac dementibus comparentur. *c. 5. & 6. diſt. 35.* BLANC. *in Tract. Crim. §. ebrius.* RIPA *in l. 6. ff. d. V. O. n. 21.* STEPH. GVAZZ. *d. Civ. converſ. in conviv.*

by Google

viv. Neutiquam tamen hoc accipiendum eſt ita, quaſi indiſtincte ebrietas filiæ in corpus peccanti afferre poſſit patrocinium, cum circumſtantiarum ratio ſedulo ſit attendenda atque reſpicienda, ut ne peccandi occaſio malis moribus præſtetur. *l. 1. ff. ad SCt. Maced.* Qua ex re filia nullo juris præſidio gaudeat, ideo quod ex compoſito atque ſpontaneo motu hunc in finem ebrietatem contraxerit, quo in corpus delinqueret, atque ſub hac ſibi egregie apparente ſpecie ſeſe excuſaret. conf. PUFENDORFF. *de J. N. & G. l. 1. c. 4. §. 8.* PETR. ÆROD. *Rer. Jud. l. 10. c. 13.* MARC. ANTON. PLANC. *in Pr. Crim. §. ebrius n. 22. j.* Dn. D. BODIN. *diſſ. d. Jur. cir. ebriet. c. 4. n. 62.* Exhæredationis odio pater cumprimis temperet, quodſi filia fortaſſis iſtud in peccatum delapſa ſuaque culpa ebria facta fuerit. BOURIC. *in captiv. cap. 2. n. 32.* JUL. CLAR. *Recept. Scal. 1. 5. §. fin. qu. 60. n. 12.*

§. VIII.

Stuprum dormienti filiæ illatum neutiquam ad exhæredationem facit ac ſufficit, cum nihil ipſi tunc imputari poſſit, namque dormiens furioſo quoque comparatur *l. 1. §. 3. ff. d. acquir. & amit. poſſ.* conf. Illvstr. Dn. THOMAS. *diſſ. de Jure circa ſomn. & ſomn. cap. 5. §. 28. 29.* ita ut proprie non delinquat, nec pœna dignus ſit. *Clem. un. d. Homicid.* B. SCHOEPFFER. *Synopſ. Jur. priv. l. 47. tit. 1. d. privat. delict. n. 36.* Etenim ſomnus ex quorundam mente atque ſententia eſt res humana atque naturalis ut nemo in vitio ponere eum poſſit. Excuſandæ igitur ſunt fœminæ, cum jurant tam arcto ſomno oppreſſas ſe fuiſſe, ut perſentiſcere haud potuerint vim pudicitiæ fuiſſe illatam, id quod illuſtrari poteſt *Reſponſo Scabin. Lipſ. M. Febr, Anno 1704.* ſequentem in modum concepto: *Daſs M. V. nach vorhergebender ſcharffen*

Vervvarnung für der ſchvveren Straffe des Meyneydes, dazu auch ein Geiſtlicher des Orths zu gebrauchen, ſich eydlich zu reinigen, und daſs ſie, als ſie von ihren Stieff-Vater geſchvvængert vvorden, ſo feſte geſchlaffen, daſs ſie es nicht gemercket, vveniger ihren Willen in ſolchen Beyſchlaff gegeben, und daſs ſie ſchvvanger ſey, nicht gevvuſt, ſondern dieſes erſt, als es ausgebrochen, und ihre Mutter ſie desvvegen zu Rede geſetzt, erfahren, zu ſchvveren ſchuldig. Quo juramento præſtito, rea judicio JCtorum Ordinis Witteb. M. Jul. Anno 1704. abſoluta fuit. Conf. Dn. BERGER *Elect. Jurisprud. Crimin. c. 1. ſub n. 9.* Ex quibus cunctis ſponte ſua fluit ac ſequitur, quod exhæredatio quoque ad *l. 19.* ductum contra filiam ſomno ſtupratam applicari nequeat.

§. IX.

Nec praxis *leg.* accommodari poteſt filiæ violentum ſtuprum paſſæ. Sub nomine *der Noth-Zucht* violentum quoque comprehenditur adulterium. *Ord. Crim. art. 19.* It. Jus Saxon. quoque refert huc ſcortationem violentam *Lr. l. 3. a. 46. P. 4. Conſt. Elect. 30.* conf. Magnificus Dn. MENCKENIUS *Tract. Synopt. Pand. Th. & P. l. 48. t. 4. Ad leg. Jul. d. Adult. p. 661.* Cum iſtud igitur violentum ſtuprum famam non lædat ſtupratæ, illique impune ſit *l. 13. §. 7. l. 39. ff. l. 20. C. ad l. Jul. d. adult.* Siſtitur inde oculis, parentum exhæredationem hoc in caſu quoque ceſſare. Id quod ſtatuendum quoque eſt, cum ſtuprum violentum ad pœnæ capitalis effectum committitur in puellam, quæ infantis adhuc loco habetur, atque adeo per ætatem conſentire nequit. *l. 1. §. f. ff. de extraord. Crim. P. 4. Conſt. Elect. 31.* j. BERGER *loc. cit. p. 141.* Multo minus exhæredationis pœna filiæ concubitum cum ſponſo anticipanti infligi poteſt, licet diſſentiat

THE-

Digitized by Google

THESAUR. *quæſt. Forenſ. l. 1. qu. 70. n. 13.* hac ex ratione quod per matrimonium ſubſecutum nec peccatum diluitur, nec irrogata a lege pœna tollitur. Aſt cum matrimonium omne purget vitium *cap. 6. X. qui fil. ſunt legit.* talis filia odioſæ nulla plane ratione exhæredationi obnoxia eſſe poteſt. Conf. STRYCK. *d. ſucceſſ. ab inteſt. diſſ. 12. c. 2. §. 22.*

§. X.

In quantum luxurioſe vivens filia ob peractam pœnitentiam ab exhæredationis parentum pœna liberanda veniat, nunc argumenti ratio, ut diſquiritur, efflagitat. Illud quidem extra omne dubium putatur poſitum, pœnitentiam excuſare, cum nondum fuerit conſummatum delictum. HOSTIENS. *in cap. pro humano n. 22. verſ. Si vero præferre potuiſſet. de homicid. in 6.* Quod reæ tamen luxurioſæ vitæ filiæ poſt conſummatum delictum patrocinari poteſt neutiquam, quia in delictis conſummatis a pœna haud liberat pœnitentia *l. 65. ff. de Furt.* GOEDD. *ad l. 225. ff. d. V. S. n. 10.* COVARR. *2. Var. Reſ. cap. 10. n. 3.* ut eodem in odio ita perſeverare pater nec animum mutare exhæredationis præſumatur. PEREZ. *ad tit. C. de liber. præter. n. 20.* WESENBEC. *Conſ. 29. n. 33. Diſſ.* SURD. *d. aliment. tit. 7. qu. 1. n. 28.* BRUNNEM. *ad leg. 19. C. d. inoff. teſtam. n. 4.* Attamen res aliter ſeſe habet, cum pœnitentia autoritate legis expreſſa delictum ſublevat & quaſi abolet. GOTHOFRED. *ad cit. l. 65. ff. d. Furt.* BACHOV. AD TREUTLER. *V. I. diſput. 13. th. 9. lit. D. in fin.*

§. XI.

Demonſtratum jam *cap. 1. §. 6.* fuit ſupra, quod in lege noſtra ſub *Filiæ* voce filius luxurioſe vivens haudquaquam

 com-

Digitized by Google

comprehendatur: Quoniam pœnalia atque odioſa ad caſum non expreſſum haud facile ſint extendenda. ZOES. *ad tit. ff. d. liber. & poſthum. n. 16.* BACHOV. ad TREUTLER. *Vol. 2. diſput. 6. th. 5. lit. c.* STRYCK. *d. Caut. Teſtam. c. 19. §. 35.* Cujus diverſitatis non aliam allegant rationem, quam quod fœminarum majori odio quam quidem virorum habeatur impudicitia, majorque a fœminis, quam a viris requiratur caſtitas. conf. GLOSSA *ad L. Palam. 43. §. 12. ff. d. Ritu Nupt.* STRYCK. *loc. cit.* Verum enim vero dictum BROCARDICUM a nota abſurditatis abſolvi nulla poteſt ratione, quoniam tum chriſtianæ religionis principia, tum honeſtatis quoque regulæ parem in maſculis caſtitatem ac in fœminis requirunt. Silentio tamen neutiquam præterire licet illud, Romanos nullum majus patri familias inferri poſſe dedecus ex religione arbitratos fuiſſe, quam quidem filiæ corruptione, adeo ut mortuam potius hanc, quam vitiatam voluerint. Siſtit dignum notatu exemplum VAL. MAX. *l. 6. c. 1.* in Virginio, qui cum APPIUS CLAUDIUS Decemvir ſtuprum pertinaciter filiæ ejus Virginis adhuc expeteret, deductam in foro puellam occidit, pudicæque interemtor, quam corruptæ eſſe maluit pater. Luculenta alia tum ex hiſtoriis, tum ipſis ex legibus deſumta teſtimonia ut prætermittamus, quibus comprobare profecto liceret, quam peculiarem virginum caſtitatis curam ſollicitudinemque habuerint Romani, cum e contra laxa apud eosdem maſculorum pateret licentia, filiique incontinentia patri non tantopere crederetur contumelioſa, adeo ut a vera & morali caſtitatis idea longe diſceſſerint Romani, a fœminis majorem quam a viris caſtitatem exigentes, quæ ſolide diſcuſſa legi poſſunt apud EXCELL. DN. GUNDLING. *in diſſ. Major. a fœm. quam a vir. requir. caſt. §. 3.* Ubi ſequentia in medium attulit verba: *Ex quibus facile intellectu eſt, Romanos maſculis quidem*

dem libidinis frena valde laxaſſe, fœminarum vero affectum, quanto poſſent opere, externis legibus coarctaſſe. Quin & de filia luxurioſe vivente a parentibus exhæredata, & cur ad filium hæc legis diſpoſitio non ſit extendenda, ex inſtituto diſſeruit. *§. 17. 18. 19. cit. diſſ.* Nec filius denique exhæredari poteſt, quamvis viliorem aut indignam fœminam ſibi junxerit matrimonio. Conf. LANGE *de exhæred. §. 30.* B. COCCEI. *Diſſ. quæ ſit gen. reſolut. controv. circa cauſ. exhæred. liber. c. 2. p. 37.*

§. XII.

Ceſſat a parte patris effectus exhæredationis filiæ luxurioſe viventis, ſi *inconſulto calore* ſuſcepta fuerit illa. Quo caſu teſtator potius præſumitur ſcribere noluiſſe. *C. Si quis iratus 5. C. 2. qv. 3. vid. ſupr. c. 1. §. 9.* Unde exiſtimare inductus eſt IOHANN. BAPTISTA COSTA. *d. Fact. ſcient. diſtinct. 45. Cent. 1. n. 11.* tunc non valere exhæredationem, etiamſi legitima cauſa concurrat, ſi ex nimia animi commotione ſit facta. Cautus proinde ſit teſtator, ut ne exhæredationi duriores increpationes taliaque verba annectat, ex quibus nimia animi intemperies atque vindictæ ſtudium eluceſcat, cum tales maledictiones & imprecationes potius ineptam teſtatoris voluntatem arguant, quæ non eſt ſervanda. Iuxta *L. 113. §. 5. de Legat. 1.* STRYCK. *d. Caut. Teſtam. c. 2. §. f.* Licet autem olim ejusmodi execrationum fulminibus teſtamenta ad pias cauſas & donationes in Eccleſias & Scholas medio ævo munire ſolenne fuerit. Conf. IOHANN. MABILLION *in Theſ. Diplom.* ALBERTUS MIRÆUS *in Cod. Piar. donat.* PETREIUS d MONASTER *p. 74.* a noſtratibus tamen Theologis tales quoque maledictiones jure meritoque

prohibitæ ac illicitæ eſſe exiſtimantur. OSIANDER *Theol. Caſual. P. I. c. 12. in ſecund. præcept.* DANHAVER *in colleg. Decalog. diſſ. 5. §. 13.*

§. XIII.

Qui inconſultus exhæredationis calor ex ſubſequente patris remiſſione facile dijudicari poteſt. Quavis enim illa, quæ in iracundiæ calore perpetrata fuere, non prius rata ſint, quam ſi perſeverantia apparuerit, judicium animi fuiſſe, *l. 48. ff. d. R. J.* ibique MVLLER. J. SALICET *ad leg. noſtr. 19. annot. voc. Calor Iracundiæ.* Inde tamen ex ſubſequente remiſſione ſatis ſuperque apparet, inconſultam extitiſſe patris exhæredationem. SIMON d. PRÆTIS *l. 3. Interpr. 1. dub. 6. ſect. 4. n. 13.* MATTH. *d. Succeſſ. c. 5. §. 17.* Si igitur de patris remiſſione, conſtet, aut ſi talia filiæ poſtea deprehendantur merita, quæ iram patris lenire poſſint *l. 5. C. fam. herc.* TIRAQVEL. *ad l. Si unquam verb. donat. largitus l. d. revoc. donat. n. 51.* Tunc vitæ luxurioſæ cauſa teſtamento expreſſa exhæredationis effectum habere nequit, licet ab hærede ea probetur. Ceſſante enim exhæredationis cauſa, quæ in injuria parenti illata conſtabat, & ipſam exhæredationem ceſſare neceſſe eſt, BARTOL. *in l. 4. ff. d. adim. legat.* Paria enim ſunt, non adeſſe cauſam exhæredationis. vel eſſe extinctam per reconciliationem. Conf. SIMON. d. PRÆTIS *c. 1. n. 15. in fin.*

§. XIV.

Quo autem conſtet, patrem *conſulta mente* exhæredationem turpiter viventis filiæ feciſſe, in ſolenni teſtamento ſuſcepta ea eſſe debet. Neutiquam igitur hæc in Codicillo

dicillo admittitur. *§. 3. J. d. Codicill. l. 7. C. cit. tit. l. 14. C. de teſtam.* MEV. *P. 4. Dec. 183. n. 4.* Majorem adhuc res patitur difficultatem, quando pater in minus ſolenni teſtamento exhæredationem hujus filiæ fecerit. Cum vero in Jure prohibitum nullibi legatur, quo minus in teſtamentis minus ſolennibus, ſive privilegiatis exhæredatio inſtitui poſſit, conf. STRYCK. *d. Caut. teſtam. c. 10. §. 18.* HAHN. *d. diſpoſ. parent. inter. liber. th. 62.* DN. BERGER. *diſcept. Elect. forenſ. ad ord. Proc. Saxon. t. 45. obſ. 7. diſſ.* STRVV. *S. J. C. Ex. 32. th. 19. in f.* Inde patris quoque exhæredatio reſpectu filiæ luxurioſe viventis in ejusmodi teſtam. facta ſubſiſtit. Aſt turpitudinis vitæque luxurioſæ a parentibus expreſſis verbis adjecta tamen eſſe debet cauſa. *Nov. 115. c. 3.* MANZ. *d. Teſtam. tit. 10. qu. 1. n. 27.* GOMETZ. *Var. Reſolut. l. 1. c. 11. n. 11.* BRVNNEM. *Dec. 44.* Quapropter non audiendus eſt hæres, quantumvis cauſam turpis ac luxurioſæ vitæ a patre vero in teſtamento prætermiſſam probare velit. ANTON. FAB. *in Rational. ad l. 3. d. Inoff. teſtam. lit. a.* Cum expreſſe citata in Novella requiratur, tum ut ingratitudinis cauſa teſtamento nominatim ſit inſerta, tum, ut expreſſam cauſam hæres probet. COVARR. *d. Teſtam. cap. 16. n. 8.* PET. GREGOR. Tholoſan. *ſyntagm. Jur univ. l. 44. c. 3. n. 13.* FACHINÆVS *l. 6. contr. Jur. c. 76.* ita ut injuriam pater, quam habuit, videatur remiſiſſe. *a. l. 1. §. f. C. de Revoc. donat.* Quippe qui, cum nullam liberorum quaſi ingratorum mentionem fecerit, non licebit ejus hæredibus ingratos eos nominare & ejusmodi quæſtionem introducere. *l. 30 C. d. inoff. teſtam.* Nec pro injuria reputaſſe cenſetur. *a. l. 15. §. 26.*

§. XV.

Nec ad filiam luxurioſe viventem a parentum hæreditate excludendam ſufficiet, cum in teſtamento in genere eſt dictum. *Filia mea exhæres eſto, ex cauſis ex quibus de Jure meretur exhæredari.* j. SIMON d. PRÆTIS *c. l. n. 9.* Quod cauſa præciſe inſerenda ſit nominatim. Exinde quoque ſequitur, quod exhæredatio in futurum eventum turpis vitæ facta non valeat, eo quod certo judicio liberi a parentum ſucceſſione ſint removendi. Certum autem non ſatis videtur eſſe judicium, quod futurum in eventum ſuſpenditur. conf. *l. 18. pr. ff. d. Bon. poſſ. contr. Tab.* Idem pari modo ſtatuendum venit, quando errore inductus fuit pater, ut filiam, quaſi luxurioſe viventem exhæredem eſſe juſſerit, ita ut hoc caſu filiæ per errorem exhæredatæ perinde ac cæteris liberis portio ſua tribuatur. *a. l. 3. C. d. Inoff. teſtam.* Uti & hoc ſimili in caſu explicavit RICHTER. *d. juſt. Mort. ſent. §. 21. n. 7.* Tunc enim patris excluditur voluntas *l. 6. ff. ad Municip.* ut non ex inſtituto atque conſulto feciſſe exiſtimetur exhæredationem filiæ.

§. XVI.

Nudæ tamen patris aſſertioni filiam turpis & luxurioſæ vitæ inſimulantis in teſtamento non creditur. Quo enim ſubſiſtat exhæredatio, neceſſe omnino putatur, ut hæres cauſæ adjectæ probationem in ſe ſuſcipiat. *Nov. 115. c. 3. §. fin.* Idquod aliter ſeſe habebat jure antiquo, cum probare tenerentur liberi, exhæredationem ſeſe haud meruiſſe, ſed debitum parentibus obſequium religioſe præſtitiſſe. *l. 5. §. 1. ff. d. Inoff. teſtam. l. 28. C. eod.* ANT. FAB. *d. Error. Pragmat. 14. Error. 7.* Ratio namque in eo conſiſtebat, quia pater non

præ-

Google

præſumebatur absque gravi cauſa filiam ſcripſiſſe exhæredem *l. pen. §. 1. ff. d. Rit. Nupt. l. 7. pr. C. d. curat. Furioſ.* At vero Imperator in dicta Novella probandi onus ſaluberrimo inſtituto ad hæredem ſcriptum derivavit. MENOCH *P. 4. præſumt. 29. n. 23.* DN. STRYCK. *uſu mod. ff. d. Inoff. teſtam. §. 13.* Ubi argumenta LUDWELLI fruſtra diſſentientis in *tract. d. ult. volunt. P. 2. c. 4. p. 381.* exacte refutata legere licet. Hinc quoque nulli dubitamus, quin filia, hærede in probatione luxurioſæ vitæ deficiente, exhæredationem patris jure ſuo impugnare poſſit. Conf. STRYCK. *c. 1.* Quid de eo autem ſentiendum putes caſu? Si filia ſcilicet non ob luxurioſam tantum vitam, ſed ob alias plures cauſas exhæredata fuerit, an ſufficit, cum hæres tantummodo luxurioſam filiæ vitam probaverit licet reliquæ probatæ non fuerint? idquod utique affirmandum eſt. Etenim hac ratione Imperator pronunciavit. *cit. Nov. Nominatas cauſas vel unam ex his veram eſſe monſtraverit.* SICHARD. *ad auth. non licet. C. de liber. Præter. n. 32.* RICHTER. *diſſ. d. Juſt. mortuor. ſent. in propr. ſanguin. §. 21. n. 5.* STEPHAN. *ad cit. Nov. p. 586.* Quo igitur hæres luxurioſæ filiæ vitam tanto facilius probare poſſit, haud abs re erit, ut parentes ſingularum circumſtantiarum mentionem fecerint, quæ ignotæ ſæpius ſunt hæredi, cui probationis incumbit onus. MASCARD. *d. Probat. concl. 714. n. 18.* DN. STRYCK. *d. caut. teſtam. c. 19. §. 21.*

§. XVII.

Quodſi jure Fideicommiſſi bona ad luxurioſam filiam

alios poſſe transferre, & alienam ſpem decipere, ut hic noſtra faciamus verba *L. 3. §. 2. ſub fin. commun. d. legat.* Nam licet exhæredatio ſit univerſalis privatio, hoc tamen ita judicamus accipiendum, ut illa tantummodo bona in hunc cenſum veniant, quæ a libera teſtatoris diſpoſitione ac arbitrio dependent. conf. KNIPSCH. *d. Fideicom. Fam. c. 11. n. 38. ſeqq.* Quapropter hæc in genere valeat regula: De quibuscunque rebus teſtamentaria diſpoſitio non admittitur, illæ etiam ab exhæredationis objecto removentur. conf. LANGE *d. Exhæred. §. 11.* STRYCK. *d. caut. teſtam. c. 21. §. 1.* SCHWEDER. *diſſ. d. alienat. Bon. Fideicomm. obnox. §. 29.*

§. XIIX.

Notandum denique venit, quod textus noſter de filia flagitioſe vivente a ſucceſſione teſtamentaria excluſa ſermonem inſtituat. Neutiquam vero hanc ob rationem repelli poteſt filia a ſucceſſione inteſtati. conf. SICHARD. *ad l. 11. Cod. d. Inoff. teſt. n. 5.* MEV. *P. 4. Dec. 183.* Hæc enim excluſio eſt odioſa, adeoque quocunque modo reſtringenda. *c. 15. d. R. J. in 6.* Huc referenda ſunt verba *Spec. Sax. l. 1. art. 5. Ein Weib verleuſt mit Unkeuſchheit ihres Leibes ihr Recht nicht, noch ihr Erbe.* Aſt ſupra *c. 1. §. 12.* obſervatum jamjam fuit, filiam luxurioſe viventem jure ſucceſſionis ab inteſtato haudquaquam excidere, niſi exhæredatio in teſtamento valida facta fuerit. MEV. *P. 4. Dec. 183.* BRVNNEM. *cent. 5. dec. 44.* BARRY *d. ſucceſſ. l. 18. tit. 1. n. 36.* MANTZ. *de teſtam. tit. 10. q. 14. & 16.* Cum eos liberos, quorum quaſi ingratorum nullam parens injecit mentionem, ingratos nominare hæredibus haud permittatur, *l. 30. pr. C. d. Inoff. teſtam.* RICHTER. *d. Juſt. mortuor. ſent. in propr. ſangv. §. 20. n. 6. ſeqq.* DN. HOPP. *comment. Inſt. tit. d. Exhæred. liber.*

Neque

Digitized by Google

Neque filia talis a ſucceſſione ab inteſtato excluditur, quanquam in quodam contractu iſtis verbis uſi fuerint parentes: ſe filiam ob vitam turpem transactam exhæredatam velle. PASCHAL. *d. Patr. poteſt. part. 2. c. 5. n. 112.* Quippe neutiquam ſufficit voluntatis expreſſio de exhæredando, ſed modus quoque requiritur legitimus, hoc eſt, ut in teſtamento fiat exhæredatio. MEV. *P. 4. Dec. 183. num. 4.* ANT. MATH. *d. ſucceſſ. c. 19. th. 24.* Quibus in caſibus dicta exceptioni ſint ſubjecta, adeo ut inteſtati quoque ſucceſſio denegetur, ſolidiſſime explicuit STRYCK. *d. ſucceſſ. ab inteſt. diſſ. 12. c. 2. §. 28. ſeqq.*

§. XIX.

Nulla vero exhæredatione filiæ luxurioſe viventis a parentibus in teſtamento facta, Magiſtratus filiam tanquam debita ſua portione indignam excludere neutiquam poteſt, cum pro indigno habendus ſit nemo, niſi quem leges talem declarant. Conf. *Tit. ff. d. his quæ ut indign.* HOPP. *cit. loc.* DISS. MEV. *P. 4. Dec. 184. & 185. Dec. 152. & 153.* STRVV. *ad Ant. Math. tract. d. ſucceſſ. c. 5. §. 31.*

§. XX.

Diſſertationi huic colophonem impoſiturus, haud abs re fore arbitror, ut pauciſſimis adhuc diſquiratur, utrum vice verſa liberi quoque contra matrem turpiter luxurioſeque viventem ad ductum legis noſtræ 19. *C. d. inoff. teſtam.* ex-

Digitized by Google

bus ut indignis. STRYCK. *d. Caut. teſtam. c. 19. §. 40.* Nec obſtat, quod propter ſecundas nuptias mater jure civili hæreditatum ab inteſtato ſibi delatarum non ſit capax j. *tot. tit. C. d. ſecund. Nupt.* ANGEL. DE GAMBELLION *d. ſecund. Nupt.* GLOSSA *46. n. 6.* RICHTER. *d. ſucceſſ. ab inteſt. S. 2. m. 1. n. 16.* OLDRAD. *conſ. 294.* Secundis autem nuptiis æquiparare ſoleant vitam luxurioſam, ita ut plus ſit luxurioſe vivere, quam ad ſecunda vota tranſire. UBALD. *d. ſucceſſ. ab inteſt. p. 2. n. 12.* Cum extra dubium autem poſitum ſit, prioris matrimonii liberos per ſecundas nuptias, quam per vitam luxurioſam, magis onerari. conſ. STRYCK. *d. S. A. J. diſſ. 12. cap. 3. §. 13.* Inde argumentum quoque ad viventem luxurioſe matrem exhæredandam deduci nequit. Cum lex erubeſcat liberos parentibus ſtatuere caſtigatores. *Nov. 22. c. 44.* Quod ſi tamen cum genero ſuo mater luxurioſe vivere ac nefandum inceſtum committere auſa fuerit, tunc filia profecto juſtam exhæredationis cauſam habet. *conſ. Nov. 115. c. 4. §. 3.* Quæ igitur cum ita ſeſe habeant, measque exiguas ingenii vires in argumento diſſertationis propoſito, quantum quidem temporis ratio atque hæ pagellæ permiſerunt, tentaverim publiceque more ſolito oſtenderim, vela, pietate ſic jubente, omnino contraho, atque ardentiſſimis iisdemque decentiſſimis precibus a benevolo ac integro Lectore peto & efflagito, ut hocce ſpecimen, levidenſe licet, lectione judicet dignum, eaque benevolentia, qua cæteros muſarum craſtra ſequentes dignos reddit, me amplectatur, candidoque ſuo favore beet.

S. D. G.

A611471113

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google